# HISTORIA C

DE

# HISPAN

# PAVLI APO

# ITINE

*AD ROM. XV,*

AVCTOR

IOANNE IVST

AA. M. ET ACAD.

VITEMBERGAE,

APVD EPHRAIM GOTTLO

ACAD. TYP

A CRITICA

DE

# ANICO
# POSTOLI
# NERE

*. XV, 24 & 28.*

CTORE

VSTO SPIER,

CAD. BIBLIOTH.




24

GAE, 1742.

TTLOB EICHSFELDIVM,

TYPOGR.

# DE
# PAVLI ITINERE IN HISPANIAM

## SECTIO I.
## CONFVTANS TESTIMONIA PATRVM SECVLOR. QVINQVE PRIMORVM.

### *PROOEMIVM.*

Cum in explanatione Epiſtolae S. Pauli ad Romanos nuper vſque ad Cap. XV, 24. veniſſem, tum mihi vel neceſſitas imponebatur, vel occaſio offerebatur inquirendi in eam controuerſiam, quae de itineris Hiſpanici, a Paulo Apoſtolo promiſſi, executione agitata eſt, atque etiamnum agitatur. Hoc igitur cum agerem, rem vidi poſitam in tribus ſententiis. *Vna* eorum eſt, qui nihil hic de-

finientes, controuersiam in incerto relinquunt. Quo referendi sunt D. Calovius in Bibliis Illustratis ad Rom. XV, 24, D. Joach. Langius in Vita Pauli, Christian. Eberhard. Weismannus in Introd. in Histor. Eccles. N. T. Part. I. p. 43. D. Ioann. Millius in Prolegom. N. T. Graeci §. 122. Ioann. Lorinus ad Cap. XXVII. Act. & Sebastian le Nain de Tillemont in Memoires pour servir a l'Histoire Ecclesiast. T. I. p. 876. edit. in 8. *Altera* sententia eorum est, qui illud iter Paulinum non animo tantum susceptum, sed & corpore volunt confectum. Tenent hanc Baronius in Annalibus ad an. Christi 61, atque in Notis ad Martyrolog. Romanum, Cornelius a Lapide ad Act. XXVIII, 31. Gaspar Sanctius in Tractatu quarto, subiuncto Commentariis ipsius in Act. edit. Coloniae Agripp. 1617. p. 98. sqq. Petrus de Marca in Epistola ad Henr. Valesium de tempore, quo primum in Galliis suscepta est Christi fides, §. 4, quae epistola, splendide mendax, primum Historiae Eccles. Eusebii edit. Valesii praemissa, deinde operi ipsius Petri de Marca de Concordia sacerdotii & imperii, edit. Francof. 1708. fol. annexa est. Natalis Alexander Histor. Ecclesiast. Secul. I. Part. I. Differt. 14. p. 554. sqq. edit. Paris. 1679. in 8. Petrus Halloixius in Vita Dionysii Areopagitae c. XII. p. 55. Barthol. Gauantus in Thesauro sacrorum rituum T. 2. p. 282. Ioan. Pearsonus in Differt. 1. de successione prim. Pontif. Roman. p. 20. sq. Ioach. Camerarius in historia Christi & Apostolorum, p. 185. Centuriatores Magdeburg. Centuria 1. libr. 2. c. 10. p. 458. Georg. Maior in vita Pauli ad a. nati Christi 61. Lucas Lossius in Annotatt. in Act. XXVIII. Christian. Matthias in Theatro historico in Nerone, M. C. G. Pitschmann. in Supplement. dub. vexat. hist. eccles. secul. I. p. 55. sqq. Iohannes Micraelius in Histor. Ecclesiast. libr. 2. sect. 1. §. 17. p. 232. Johann George Heinsius in kurtzen Fragen aus der Kir-

chen-

chen Historie Secul. I. p. 58. Conrad. Sam. Schurtzfleischius in Introduct. in notitiam scriptorum, part. 2. p. 155. & 177, itemque in Commentationibus in Histor. eccles. Gothanam, p. 45. Campegius Vitringa in Hypotyposi historiae & chronologiae sacrae, p. 257. & p. 279. Emanuel Caietanus Sousa in Expeditione Hispanica Apostoli S. Iacobi Maioris adserta, T. I. p. III, sect. 1, p. 574. sqq. atque alii, quos recenset D. Io. Albert. Fabricius in Luce Euangelii p. 374. sqq. & p. 407. *Tertia* sententia eorum est, qui iter illud cogitatum concedunt, expeditum negant. Quod statuunt Thomas Aquinas (a) in Commentario ad Rom. XV. Guil. Estius in Commentario ad Rom. XV. lectione tertia. Dominicus de Soto, Dominicanus Hispanus, (b) in commentar. ad Rom. XV, Ludouicus Capellus in historia apostolica p. 33. sqq., Sam. Basnage in Exercitatt. contra Baronium p. 511. atque in Annalibus T. I. p. 574. Frider. Spanhemius in introductione ad Geographiam sacram p. 251. seq. edit. Lugd. Bat. 1679. in 8. Thomas Lydiat in Emendatione temporum ad a. mundi 4068. Christoph. Cellarius in Itinerario apostolico §. 28. D. Ioh. Heinr. Maius in Oeconomia N. Testamenti p. 521. venerab. Io. Laurentius Moshemius in Institutionibus histor. christianae antiqui-



(a) Thomas hic, vti Gaspar Sanctius c. l. p. 181. obseruat, in commentario ad Galat. II, 2. opinatur, Paulum vsque in Hispaniam praedicasse evangelium. Quem locum cum in editione Basileensi a. 1495. fol. inspicerem, Sanctiani veritatem dicti perspexi. Nihilominus tamen, (cum Thomas hic in commentar. ad Rom. ex instituto, in altero vero ad Galatas ὡς ἐν παρόδῳ hanc agat caussam; nec mihi quidem volupe sit inuestigare, vter commentarius tempore sit posterior,) illis, qui iter Pauli Hispanicum consummatum inficiantur, adsociandum putaui, nihil curans, vtrum Thomas prior, an posterior, atque in articulo mortis constitutus, id existimarit.

(b) *Vnus hic Sotus* Sanctio l. c. videtur *esse homo Hispanus, qui Pauli iter Hispanicum neget confectum.* Quod admiratur Sanctius, ego non item, cum cogitem, horrendam vim esse πατριδομανίας, nec libertati sentiendi satis tutum in Hispania esse locum.

oris p. 55. & Ioann. Christoph. Harenbergus in Obseruatione octaua Otiorum Gandershemensium sacrorum. Huic tertiae sententiae quamquam ego quoque subscribam, attamen in praesenti non tam sententiae meae fundamenta ponam aut defendam, quam contrariam potius sententiam labefactabo, siue, vt loquar quod Scholis placet, ἀνασκευαστικῶς acturus, approbabo, ab ecclesiae Doctoribus christianae, qui per quinque prima secula huius itineris testes constituuntur, executionem eius partim non affirmari, &, a quibus affirmatur, ab illis animum percuti probabilitate nulla.

*Monitum.* Instituti huius nostri *vtilitatem* multo facilius ac luculentius fuerit ostendere in fine quam ab initio huius opusculi.

## I. PAVLVS circa annum Christi 54

Primus itineris Hispanici Paulini testis, ipse Paulus citatur, quippe qui Rom. XV, 24 & 28. scripsit: *Tanquam si in Hispaniam proficiscar, ad vos* (Romanos) *veniam. Spero enim transiens videre vos; & si eleemosynas Hierosolymas pertulero, tunc per vos in Hispaniam proficiscar.*

*Resp.* 1) In his verbis Paulum, iter Hispanicum animo quidem destinantem videmus, praetereaque nihil. Ast hoc non quaeritur, hoc non disputatur, cum aliud sit destinare quid animo, aliud, destinatum illud exsequi. Sed & 2) Paulus multa animo proposuit, quae ipsa actione non perfecit, cum reuelationes diuinae peculiares, religio christiana in loco quodam magis confirmanda aut commode propaganda, malorum perpessiones, aliaeque περιστάσεις saepenumero Paulum a proposito animi sui exequendo non solum abstrahere potuerint, ac debuerint, sed & abstraxerint. Sic per Phrygiam Galatiamque in Asiam Proconsularem proficisci sibi proposuit Paulus. Sed

spes

ſpes cecidit in irritum, Act. XVI, 6. Sic Bithyniam pertranſire ſibi propoſuit Paulus, ſed ſpes cecidit in irritum, Act. XVI, 7. Sic per Macedoniam atque Achaiam petere Hieroſolymam ac Romam ſibi propoſuit Paulus, Act. XIX, 21. ſed ſpes cecidit in irritum. Act. XX, 3. Sic Corinthum, atque Corintho in Macedoniam proficiſci, atque ex Macedonia Corinthum reuerti ſibi propoſuit Paulus, ſed ſpes cecidit in irritum, 1. Theſſ. II, 18. Sic Romam proficiſci ſaepiſſime ſibi propoſuit Paulus, ſed ſpes ſaepiſſime quoque ceciderat in irritum Rom. I, 13. XV, 21. Eandem ob cauſam Rom. I, 10. ea conditione, *ſi Deus voluerit*, ſe Romam aduenturum eſſe, promiſit, interſerens, ſe pronum eſſe, ſe inclinare, quantum in ſe ſit, ad iter Romanum, Rom. I, 15. Sic quoque extra vincula (c) eo proficiſci ſibi ſperauerit; ſed etiam illa ſpes cecidit in irritum, Act. XXVIII, 16, 17, 20. Porro 3) vt imaginationi quorundam hominum conſulamus, Gregorium M. audiamus, qui in expoſitione morali Iobi libr. XXVII, 22. haec concionatur: *Saepe praedicatores ſancti exhortari quosdam volunt, ſed nequeunt. Saepe quosdam declinare appetunt, ſed tamen internae inſtigationis impulſu exhortari eos inſtantiſſime compelluntur. Certe Paulus cum veſtimenta ſua executiens, a Corinthiis diſcedere vellet, audiuit: noli timere, ſed loquere, & ne taceas, propter quod ego tecum ſum, & nemo apponetur tibi, vt noceat te, quoniam multus eſt mihi populus in hac ciuitate, Act. XVIII.* Denique 4) nec inter Romano-Ca-

 tholicos

(c) Inficiatur hoc Pitſchmannus Supplement. dub. vexat. hiſt. eccleſ. ſeculi I. p. 87. his verbis: **Es wuſte Paulus ſchon ſeine Bande zu Jeruſalem, wohin er damahls gieng, da er an die Römer ſchrieb**, *Rom. XV*, 25. Sed cum locus excitatus nihil in rem habet, tum etiamſi v. 28. fortaſſe in animo Pitſchmanni fuerit, nihil tamen ille loquitur *vinculorum*, ſed generatim malitioſas Iudaeorum machinationes inſidiasque, a quibus iam inde a conuerſionis ſuae exordio Paulus ſibi timuerat. Deinde illud etiam hiſtoriae aduerſatur, i. e. Act. XVIII, 18. quo cum tempus ſcriptae ep. ad Romanos referendum ſit, tunc v. 22. Act. XVIII. Hieroſolymam quidem petiit Paulus, verum non proxime ante vincula Hieroſolymitana, ſiue Romana.

tholicos desunt, qui illationem a proposito Pauli ad eius executionem certam esse negant. Natalis Alexander l. c. ait: *S. Paulum consilium suscepisse proficiscendi in Hispanias -- constat ex epist. ad Rom. XV. Sed non ita certum est, an consilium, de ista profectione susceptum, executioni mandauerit.* Quare, relicto sacro codice, ad traditionem fugit. At enim Paulus ita promissis non stetit, mendacii coarguendus. Imo vero hunc scrupulum iam exemerunt Guiliel. Estius ac Thomas Aquinas. Ille quidem in commentar. ad Rom. XV: *Verum dixit* (Paulus), *licet euentus, Deo aliter disponente, proposito non responderit. Nec audiendus Hugo Victorinus, dicens: quamuis mentitus non fuerit Apostolus, verba tamen, quae dicebat, falsum significasse. Neque enim verba significant falsum, quae verum habent sensum, vt de verbis Pauli iam declaratum est, vero sensu fuisse ab eo dicta; quemadmodum & Thomas bene explicat in commentario.* Hic vero (Thomas) in Rom. XV, lectione tertia, ita commentatur: *Proficiscar* (ego Paulus) *per vos* (Romanos) *in Hispaniam. Sed videtur hic apostolus falsum dicere. Nunquam enim in Hispaniam iuisse legitur. In Hierusalem enim captus fuit, & exinde Romam perlatus est in vinculis, vt habetur Act. vltimo, vbi est occisus simul cum Petro. Dicunt igitur quidam, quia, sicut dicitur Act. vltimo, cum venisset Romam Paulus, permissum est ei manere sibimet cum custodiente se milite, & postea dicitur, quia mansit biennio toto in suo conductu, & in illo spatio dicunt eum in Hispaniam iuisse. Sed quoniam hoc certum non est, potest melius dici, quod apostolus falsum non dixit. Quoniam proponebat, se facturum quod dicebat, & sic verba eius erant intelligenda quasi insinuantia eius propositum, non autem futurum euentum, qui ei erat incertus. Vnde non poterat hoc praedicare, nisi forte sub conditione, quam Iacobus dicit apponendam Iacob. IV, pro eo vt dicatur: Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Et sic etiam apostolus se excusat 2 Cor. I, de hoc, quia ad eos non iuerat,*

*rat, ſicut promiſerat, dicens: cum ergo hoc volui, nunquid leuitate vſus ſum, aut quae cogito, ſecundum carnem cogito, vt ſit apud me eſt & non. Et ſic ex hoc, quia ex iuſta cauſa praetermiſit facere, quod promiſerat, ſe immunem dicit a leuitate, carnalitate & falſitate. Et ſic etiam ſoluit hoc Gelaſius papa, vt habetur in Decretis 22. q. 2. Beatus, inquit, Paulus apoſtolus non ideo, quod abſit, fefelliſſe credendus eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius, quoniam, cum ad Hiſpaniam ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione diuina, maioribus occupatus cauſis, implere non potuit, quod promiſit. Quantum enim ipſius voluntatis interfuit, hoc pronunciauit, quod reuera voluiſſet efficere. Quantum vero ad diuini ſecreta conſilii (quae vt homo non potuit, licet ſpiritu Dei plenus, cognoſcere) ſuperna praetermiſit diſpoſitione praeuentus. Licet enim propheticum ſpiritum habuerit, tamen prophetis non omnia reuelantur, vt patet 4 Reg. IV, vbi Heliſeus dicit: Anima eius in amaritudine eſt; & dominus celauit a me, & non indicauit mihi.*

*Conſectarium.* Ergo qui ex hoc Paulino loco, itineris illius Hiſpanici exſecutionem defenſum eunt, Sophiſticen exercent, committuntque fallaciam conſequentis.

*Monitum.* Cum autem in ſeqq. quoſdam deprehendemus Patres, huius fallaciae in concludendo fabros, non debemus eos in eo nec ſuſpicere, neque admirari, nec perhorreſcere, ſed potius ex hiſtoria literata exquirere, firmiterque tenere, quouſque patres in Logica diſciplina progreſſi fuerint.

## II. CLEMENS ROMANVS circa a. 65.

Alter teſtis produci ſolet Clemens, Epiſcopus Romanus, qui in epiſtola priori ad Corinthios cap. V. his vtitur verbis: *Propter aemulationem* (toleratam) *Paulus patientiae praemium obtinuit, cum catenas ſepties portaſſet, vapulaſſet, lapidatus eſſet, praeco factus in oriente atque occidente, eximium fidei ſuae decus accepit, totum mundum docens iuſtitiam* ϗ ἐπὶ τὸ τέρμα

τῆς

*τῆς δύσεως ἐλθὼν, & coram praefectis testificatus, ita e mundo migrauit atque in locum sacrum abiit, patientiae magnum exemplar factus.*

*Resp.* Hic non exquiram, an falsi sint illi, qui Clementi Romano affictas has literas censent. Non explorabo, an testis locuples sit ille Clemens, qui Romae & alibi Paulo Apostolo multum vsus esse dicitur. De quo consulatur viri celeb. Gottlieb Stollii Nachricht von den Vätern der ersten vier Seculorum p. 15. Non perscrutabor, an vera illa glossa sit, quam in prolatis & quidem in controuersis Clementis vocibus inesse, homo doctus quidam existimauit; sed potestatem tantum explanabo horum verborum: εἰς τὸ τέρμα τῆς δύσεως, in quibus Eduard. Stillingfleetus, Anglus, Angliam, Petrus de Marca, Gallus, Galliam, alii nonnulli Hispaniam vident, & quidni Americam vel Platonis Thulen? Vid. D. Ittigii selecta capita Hist. Eccles. Seculi I. p. 469. sq. Obseruationes variorum ad hunc Clementis locum in Io. Clerici edit. Patrum Apostolicorum T. I. p. 150. & D. Io. Albert. Fabricius in Luce Euangelii p. 407. Ego vero si quid video, sentio, illis vocibus subiectam esse hanc vim: Paulus mortuus est ἐλθὼν εἰς τὸ τέρμα τῆς δύσεως, postquam venerat in HVNC *vsque terminum occidentis*, Romam puta, vbi scil. exaratae a Clemente hae literae fuerant, atque vnde eas Corinthii accipiebant. Videlicet 1) articulus τὸ (τὸ τέρμα) certum occidentis terminum definit, siue τὸ ponitur pro τοῦτο. Quae notio articuli τοῦ in scriptoribus tum sacris tum profanis vsu frequentatur, ita vt firmo stet talo canon ille Glassianus in Grammatica sacra cap. de pronom. can. I. p. m. 498. seqq. *articulus ὁ, ἡ, τὸ non raro pronominis demonstratiui vim obtinet.* Exemplis, quae ex solis quidem Noui Foederis tabulis magnus Glassius attulit, plura exempla adiungi possunt. e. g. Matth. XXIV, 22. Act. XV, 32. XXIII, 33. Rom. VIII, 32. XVI, 22. Coloss. IV, 16. 1 Thessal. V, 27. Apoc. I, 3. & 1 Cor. XVI, 19. salutant vos AI

ἐκκλη-

ἐκκλησίαι τῆς Ἀσίας, HAE huius Asiae ecclesiae, vbi scil. exaratae a Paulo hae literae fuerant, atque vnde eas Corinthii accipiebant. Sed & profanis scriptoribus huius notionis vsum recte vindicauit Ioh. Frider. Hombergius in parergis sacris. p. 73. 2) Quod autem Roma vel Italia, si referatur ad Corinthum, quo hae Clementis literae publico ecclesiae Romanae nomine missae fuerunt, ad OCCIDENTEM (δύσιν) sita sit, hoc vel illos credere oportet, qui nihil credunt, nisi quod vident. Licet enim, si libet, adire Corinthum ac Romam. Huc accedit, quod ob illam ipsam rationem Italia antiquo nomine *Hesperia* cognominetur, id quod Virgilius Æneid. I. 534. seqq. cecinit his verbis:

*Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt,*
*Terra antiqua, potens armis atque vbere glebae,*
*Oenotrii coluere viri: nunc fama minores*
*Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*

Quae verba scriptor anonymus in der Uebersetzung der dreyzehen Bücher Æneidos a. 1559. zu Franckfurdt in 8. transtulit hunc in modum:

Ein Land ists, das die Griechen nennen
*Hesperiam*, ihr solts wohl kennen,
Ein fruchtbars und ein edles Land,
*Oenotrii* drin g'wonet hand,
Italia heists nach neuer Mähr,
Vom *Italo* dem König her.

Huc etiam illa Virgilii verba faciunt, quae in Æneid. 2. v. 780-784 expressa, vel ipsa Pauli apostoli fata, sed κρυπτικῶς, sed μυστικῶς, repraesentant:

*Longa tibi* (Æneae vel Paulo) *exilia, & vastum maris aequor arandum,*
*Ad Hesperiam venies, vbi Lydius arua*
*Inter opima virum leni fluit agmine Tybris.*
*Illic res laetae, regnumque & regia coniux*
*Parta tibi. Lacrimas dilectae pelle Creüsae.*

Hoc est, interprete illo anonymo:

Viel fremder Länder mustu sehen,
Lang Jahr das wild Meer überspehen.
Zu letzt komst in das welsche Land,
Darin viel Reichthums ist erkant,
Und da die Tyber sänftiglich
Durchlaufet auch das Welisch Rich,
Daselbst wird es dir glücklich gon,
Ein Königlich Hausfrau wird dir schon.
Dazu wird dir ein ander Rich.
Drum darfstu nicht beweinen mich, (Crëusam.)

Sed vide Cellarium, qui in orbe antiquo T. I. p. 627. seq. plura in hanc sententiam adfert. 3) Nec est, quod quis *nouitatem* criminetur interpretationis, vtpote Io. Fello, episcopo Oxoniensi, Sam. Basnagio, ac Tillemontio, quamuis aliis rationibus, iamdudum probatae.

## III. EVSEBIVS CAESARIENSIS. a. 325.

Tertium, ad effectum Pauli iter Hispanicum, testem Eusebium Pamphili adhibuit Ioann. Wichmannus, qui in Chronologia sacra p. 388. ait: *anno Christi vulgar. 61. Paulus coram Nerone causam dicit, sed - liberatur. Post, Fama est, inquit Eusebius libr. 2. histor. eccles. c. 22, eum ad praedicationis ministerium reuersum, atque in partes Occidentis perrexisse, & in Gallia & Hispania euangelium praedicasse.* Cum Wichmanno faciunt D. Georg. Maior in vita Pauli, ad a. Christi 61, D. Arcularius, in Feustkingii thesauro Hunniano ad Act. XXVIII, 31. p. 177, & Conrad. Samuel Schurtzfleischius, in introductione in notitiam scriptorum, part. 2. p. 177.

*Resp.* 1) Quamquam Eusebii historia ecclesiastica, quatuor in locis, de Pauli Apostoli fatis agat, libr. 2. c. 22. & 25, & libr. 3. c. 1. & 4; de Hispanico tamen eius itinere nihil quicquam ibi extat. In primo quidem loco Eusebius loquitur haec, interprete Henrico Valesio: *Festo Iudaeam procurante Paulus*

*in*

*in iudicium adductus caussam cum dixisset, vinctus Romam perductus - - atque hic Lucas, qui actus apostolorum literis tradidit, historiae suae (hunc) finem fecit, Paulum Romae in libera custodia biennium egisse, & verbum Dei libere praedicasse testatus. Tandem vero* (graece τότε μὲν οὖν tum igitur) *cum caussam apud iudices perorasset, rursus praedicandi caussa peregre profectus esse dicitur* (graece: λόγος ἔχει in scriptura dicitur,) *posteaque, cum Romam iterum venisset, vitam martyrio finisse. - - Haec idcirco a nobis dicta sunt, vt ostendamus, Paulum non in primo illo, cuius meminit Lucas, in vrbem Romam aduentu, martyrio esse perfunctum. Quippe probabile est, Pauli pro fide nostra defensionem a Nerone, qui circa initia imperii clementius se gerebat, benigne admissam fuisse: verum cum postea ad teterrima quaeque facinora idem Nero prorupisset, Apostolus quoque cum ceteris saeuitiam eius expertus.* In altero loco Eusebius profert non sua, sed Dionysii episcopi Corinthiorum, verba, quae volunt, *Petrum aeque ac Paulum fuisse & docuisse Corinthi, sed & vtrumque fuisse in Italia atque ibi tum docuisse, tum obiisse.* In tertio loco, (vbi id agit Eusebius, vt populos enumeret illos, quos Apostoli adierint docuerintque,) Paulus dicitur *regiones ab Hierosolymis per circuitum vsque ad Illyricum omnes euangelio compleuisse, atque ad extremum Romae imperante Nerone mortuus, teste Origene in tomo 3. exegeticorum in Genesin.* In quarto loco tradit Eusebius, *Paulum ab Hierosolymis in circuitu vsque ad Illyricum plantauisse ecclesias, idque intelligi tum ex ipsis Pauli epistolis, tum ex S. Lucae Actibus Apostolorum;* At nihil quicquam ibi de Pauli itinere Hispanico. (*) Itaque ergo subit



(*) Simile exemplum suppeditant illi, qui ex Eusebio haec verba citant: *narrant veteres, Iohannem Asiaticarum ecclesiarum rogatu, germanum scripturae canonem constituisse*, cum nihil tale in Eusebio legatur. Vid. Lampe prolegomen. in Joann p. 81. not. q. Similis ignauiae notam incurrit M. C. G. Pitschmannus in supplement. dub. vexat. hist. eccles. seculi I. p. 86. vbi haec tradit: So bald Paulus das erstemahl die Freyheit in Rom wieder erhalten hatte, lehrte er in gantz Italien. Das steht klar im Euseb. hist. eccles. lib. 2. c. 25. Falso.

bit mirari oculos virorum ante dictorum, quos oportet fuisse admodum acres ac perspicaces, cum, vbi nihil fuit, ibi aliquid viderint. (adeo, non temere credere, multum est.) Signetur nobilissimum hoc ignauiae credulitatisque doctorum quorundam exemplum; Quinimo 2) dum Eusebius de Hispanico Pauli itinere tacet, eo ipso vel maxime clamat, iter hoc sibi esse ignoratum, saltim suspectum. Quippe cum ratio specialis subesset, cur Eusebius, Christianorum illius aeui historicus facile princeps, illud iter Paulinum tum non taceret, quando hoc maximopere agebat, vt populos, quos obiit docuitque Paulus, enumeraret. Inter illos igitur populos cum Hispanos non enumerauerit Eusebius, consequitur, vt iter illud consummatum Eusebius vel plane ignoraret, vel certe suspectum haberet. Deinde 3) cum Origenes quoque de hoc itinere Eusebio taceat, (illi, qui in oriente, vbi Origenes, atque haud diu post floruit, qui, diligentissimus amicissimusque scriptorum Origenis lector, apologiam quoque pro Origene edidit,) vero consentaneum est, vt etiam Origeni nihil de hoc itinere innotuerit, eoque magis, quod in operibus Origenis, adhuc extantibus, altum de hoc itinere silentium est.

## IV. CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS circa a. 347.

Quartus testis laudatur Cyrillus Hierosolymitanus, propterea quod Catechesi XVII. Cap. 13. verba fecit seqq.: *Spiritus Sanctus imprimendo sigillum animae* (Pauli,) *vas eum effecit electum ad domini illius, qui apparuerat ei, nomen ferendum coram gentibus & regibus & filiis Israël, fecit eum qui ante erat persecutor, tanquam praedicatorem & bonum seruum inde ab Hierosolymis vsque in Illyricum largiter euangelizare*, κατηχήσαντα δὲ καὶ τὴν Ῥώμην, καὶ μέχρι Σπανίας τὴν προθυμίαν τοῦ κηρύγματος ἐκτείναντα, *sed & docentem Romam, atque in Hispanias vsque promptitudinem praedicationis extendentem.*

*Resp.* 1) In testimonium itineris Hispanici perfecti vocatur

Cyrillus, sed falso, qui Paulum quidem agnoscit κατηχήσαντα τὴν ῥώμην doctorem vrbis Romae, verum non κατηχήσαντα τὰς Σπανίας doctorem Hispaniarum, qui Paulum etiam agnoscit extendentem in Hispanias vsque, non τὸ κήρυγμα praedicationem suam, sed τὴν προθυμίαν τοῦ κηρύγματος praedicationis suae promptitudinem. Quibus verbis nihil Cyrillus dixit aliud, ac dixit ipse Paulus Rom. XV, 24. 28. his verbis: ἀπελεύσομαι, *volo proficisci per Romam in Hispaniam*, siue τὸ κατ' ἐμὲ, πρόθυμόν ἐστι, *quod ad me attinet, lubentissime volo praedicare Romae atque deinde in Hispania.* Rom. I, 15. Eandem notionem obtinet ἡ προθυμία in Catechef. XVII. cap. 1, vbi Cyrillus concionatur in hunc modum: *in concione proxima, quae de Spiritu S. agebat, admodum pauca vobis dicta atque argumenta attulimus.* -- τότε μὲν, διὰ τῆς ἀκοῆς σύμμετρον, τὴν προθυμίαν ἐπισχόντες *tum quidem, ne vestras aures fatigaremus, promptitudinem, studium, alacritatemque plura dicendi coërcentes, refrenantes.* En igitur Cyrillum ἐποχὴν τῆς προθυμίας statuentem, siue distinguentem inter actionem ipsam, atque inter eius προθυμίαν. 2) Quinimo etiamsi fingamus, Cyrillum agnoscere Paulum in Hispaniam vsque extendentem non τὴν προθυμίαν, sed ipsum τὸ κήρυγμα, tamen ne sic quidem certo atque indubitato inde colligi posset Pauli in Hispaniam ingressus, cum illam praedicationem etiam absens per alios aut per literas peragere potuisset. Porro 3) cum in eadem hac Catechesi cap: XV. Cyrillus memoret, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ μέχρι τῆς βασιλίδος ῥώμης αὐτὸν τὸν κήρυκα χριστοῦ τὸν ποτὲ διώκτην ὡδήγησεν, *Paulum a Spiritu S. etiam Romam vsque fuisse perductum*, Hispanici tamen itineris mentionem iniicit nullam. Iam vero scopus Cyrilli ibi est recensere effectus illos, quos per Paulum apostolum in hoc mundo operatus erat Spiritus Sanctus. Ex quibus efficitur, Paullinum hoc iter, in Hispaniam explicatum, Cyrillo fuisse Hispanicum, i. e. ignotum ac peregrinum.

## V. ATHANASIVS a. 354. secundum Basnagii annales T. 3. p. 38.

Quintus testis constituitur Athanasius, malleus ille Arianorum, quod in epistola ad Dracontium scripserit seqq.: *Paulus docens atque euangelizans, pro gaudio coronaque habebat eos, quos conuertebat.* διὰ τȣτο καὶ σπȣδῆ τῶν ἁγίων μέχϱι τȣ Ἰλλυϱικȣ κηϱύττει, καὶ μὴ ὀκνεῖ μηδὲ εἰς τὴν Ῥώμην ἀπελθεῖν, μηδὲ εἰς τὰς Σπανίας ἀναβῆναι.

*Resp.* Excitata verba graeca in edit. opp. Athanasii Paris. 1627. Tom. I. p. 956. translata in latinum sermonem sunt hoc modo: *Quapropter studium fuit sancto viro vsque ad Illyricum illud euangelium praedicare, neque segnescere, neque omittere, quin Romam iret, & in Hispanias adscenderet*, melius conuertenda ita: *quapropter studio sanctorum siue christianorum* (efficiendorum ductus) *vsque ad Illyricum praedicat, nec pigratur neque abire Romam, neque adscendere in Hispanias*, ac proinde nihil hic Athanasius dixit amplius, quam dixerat ipse Paulus Rom. XV, scil. *se non pigrari* (μὴ ὀκνεῖν), i. e. εἶναι φιλοτιμȣμενόν *se contendere, Christum celebrare ibi, vbi celebratus nondum fuerit.* Quae quidem nec negantur a nobismetipsis, nec tamen veniunt in quaestionem, adeoque struitur hic fallacia ἑτεροζητήσεως, proditurque ignoratio elenchi. Quid? quod tam ex ipsis Athanasianis loquendi formulis (μέχρι τȣ Ἰλλυϱικȣ, εἰς τὴν Ῥώμην ἀπελθεῖν κ. τ. λ.) tum ex rerum ordine, quo praedicatio in Illyricum iam illata, praedicationem praecedit, Romam atque in Hispaniam adhuc inferendam, satis videtur esse planum, animo Athanasii obuersatum esse locum Paulinum, Rom. XV, 19. seqq. Quare de Athanasiano hoc loco idem iudicium, quod de Paulino §. 1, ferendum est. Denique, vt itineris Paulini Hispanici exsecutionem affirmaret Athanasius, neque scopus epistolae illius postulat, qui est permouere Dracontium ad πϱοθυμίαν κηϱύγματος exemplo Pauli, qui, quantum in ipso fuerit, in remotissimas etiam gentes, atque adeo in Hispaniam Christi

nomen

nomen publicare anquirebat, ſtudebat, contendebat, μὴ ὤκνησε, non pigrabatur, quamuis publicationis huius contentio, vt alias ſaepiſſime, ita etiam hic fuerit fruſtra.

## VI. EPIPHANIVS circa, a. 347.

Sextus teſtis datur Epiphanius, Salaminis in Cypro epiſcopus, qui in Panario haereſ. 27. p. 107. T. I. edit. Colonienſis, ſiue potius Lipſienſis, de Paulo haec memoriae tradidit: *Petrus & Paulus praedicandi euangelii gratia* (Roma) *in alias vrbes regionesque ſaepe proficiſcebantur.* - ὁ μὲν γὰρ Παῦλος καὶ ἐπὶ τὴν Ισπανίαν ἀφικνεῖται, Πέτρος δὲ πολλάκις Πόντον τε καὶ Βιθυνίαν ἐπεσκέψατο. *Nam Paulus etiam in Hiſpaniam venit, Petrus vero Pontum Bithyniamque ſaepenumero viſitabat.*

*Reſp.* Hic quidem Pauli in Hiſpaniam ingreſſum ſtilo ſatis claro diſtinctoque, non rudi & confuſo, teſtatum facere videtur Epiphanius. Sed tamen cum hic homo, quod ſciam, primus inter eccleſiae doctores ſit, qui id ſentire auſus eſt, cumque ſententiam hanc ſub a. 374. ſecundum Caue hiſtor. liter. ſcriptor. eccleſ. p. 195. ſcripto hoc expreſſerit, noſtrum iam eſt non ſine ratione ſectari Epiphanium, ſed probe meminiſſe firmiterque tenere, teſtem hunc non eſſe auritum, non oculatum, non σύγχρονον, quippe qui iter factum affirmare auſus fuerit, per 318. fere annos ignoratum. Sed haec curatius ſunt penſitanda. Sex poſſibilitates ſuppetunt, ex quibus agi cum Epiphanio poteſt. Fieri enim potuit, 1) vt haec opinio non ſit Epiphanii, cum verba eius hic fortaſſe habeamus non integra, non genuina, ſed corrupta, ſed ab aliena manu interpolata. Queritur praeſentes operum Epiphanii (*) corruptiones Conr. Sam. Schurtzfleiſchius in Henr. Leon. Schurtzfleiſchii Actis literariis p. 38. item in introductione in notit. ſcriptorum part. 3. p. 36. ſeq. atque in commentationibus in hiſtor. eccleſ. Gothanam, illi introductioni ſubiectis p. 17. *Epiphanius iſt in der Bibliothec.*

(*) Eadem coniectura eſt Papebrochii atque Ittigii in ſelect. cap. hiſt. eccleſ. ſec. II. p. 15.

*bliothec. Vindobon.* in *MS.* Es sind in seinen gedruckten *Operibus* viele *Hiatus*, daß es scheinet, er müsse sehr castriret worden seyn. Deswegen begehrte ich das *MS.*, konte es aber nicht erhalten. Quas tamen querelas cum mihi quidem iam non detur abscindere, Epiphaniique lectionem ex manuscriptis codicibus antiquis & sinceris tueri, cumque querelis indulgere hic nihil iuuet, non est quod querelis indulgeamus. Porro fieri potuit, 2) vt hanc huius itineris exsecutionem diuinitus reuelatam habuerit Epiphanius. Quod quidem verosimile non est. Immo etiamsi diuinitus reuelatam habuerit, tamen Epiphanii erat, Lectoribus suis hoc tum significare tum approbare. Deinde fieri potuit, 3) vt ex Anecdotis illam hauserit Epiphanius. Tum vero Epiphanii erat lectoribus suis hoc indicare, ac praeterea aperire, haec anecdota quo auctore, quo tempore, quo loco, qua fide composita fuerint. Post fieri potuit, 4) vt ex libris antiquis euulgatis, sed nunc deperditis, hoc depromserit Epiphanius. Tum vero in idem, quod proxime notauimus, vitium incurrit. Tum fieri potuit, 5) vt fama atque auditione hoc acceperit Epiphanius. Tum vero Epiphanii erat, hanc famam atque auditionem etiam lectoribus suis indicare atque approbare. Sed & famam & auditionem testimoniis contrariis tum antiquioribus tum scriptis, comprimere atque interimere possemus. Deinde fieri potuit, 6) vt ex verbis Paulinis Rom. XV. Epiphanius hoc collegerit. Tum vero Epiphanii erat lectoribus suis hoc indicare atque approbare. Ex quacunque igitur quinque posteriorum possibilitatum caussa agatur Epiphanii, caussa cadit, qui, quemadmodum non oportet, egerit, quasi quae in rusticis quamplurimis dominatur, eadem Epiphanio quoque concepta opinio fuerit, historias esse fide dignas, propterea quia sunt scriptae. Idque primum vitium est, quod in historia Epiphanii virgula censoria dignum videtur. Alterum Epiphanii vitium inest in itineris sui ficti origine, quae a sexta possibilitate verosimiliter ducenda est, qua Epiphanius perfectum Pauli in Hispaniam iter

credi-

crediderit, fallacia captus consequentis. (§. 1.) Quam coniecturam meam praesidio firmat illa patrum quamplurimorum consuetudo, quae est vnam certo nouisse περίστασιν, ac reliquas quamuis dubias falsasue fingere atque addere pro certis & veris. Quam consuetudinem, a Casaubono exercitat. 1. §. 26. aliisque iam notatam, nosmetipsi in Io. Chrysostomo §. VIII, in Hieronymo §. IX, Theodoreto §. X, Euthalio §. XI. aliisque notabimus. Sed & in hoc errore error Epiphanium alius adiuuerit, quem errauit in eo, quod haeres. LI. §. XI. lectionem 2 Timoth. IV, 10. corruperit, aut corruptam ab aliis arripuerit, statueritque, Crescentem ibi a Paulo apostolo non in Galatiam Asiae, sed in Galliam Europae missum fuisse. Compara Summe Vener. Wolfii curas ad 2 Timoth. IV, 10. Quo facto facile ipsi ad credendum fuerit, ipsum Paulum posthac in Galliam quoque abiisse atque exinde in Hispaniam transiliisse. Ceterum id quoque pro comperto atque explorato aliunde iam habemus, Epiphanium non esse eum, cui tuto fides habeatur, cum non solum capite supra dicto etiam hunc errorem scripserit, *de Clemente Romano*, non in epistola ad Philippenses, sed *in epistola ad Romanos a Paulo mentionem fuisse iniectam*, sed etiam alia bene multa in historia sacra somnia somniauerit, febricitantibus dignissima. Conf. Celeb. Gottlieb. Stollii Nachricht von den Kirchenvätern der vier ersten Seculorum p. 336. & D. Frid. Adolph. Lampii prolegomena ad euangel. Ioannis, p. 188. Henr. Leonard. Schurtzfleischii Acta literaria, p. 37. sqq.

## VII. HILARIVS, Diaconus Romae, circa a. 380.

Septimus testis, a Conr. Samuel Schurtzfleischio in introductione in notitiam scriptorum part. 2. p. 155. excitatus, Ambrosius est in commentar. ad Rom. XV.

*Resp.* 1) Ambrosii commentarii in epistolas Pauli genuini, in deperditorum librorum numero adhuc ponendi sunt. Qui autem, typis exscripti, Ambrosii nomen in titulo gerunt, illi ad Hilarium, vrbis Romae diaconum, non ad Ambrosium, autorem referendi sunt. vid. Fabricii histor. biblioth. part. 1. p. 179. Cave histor. liter. scriptor. eccles. p. 169. Casp. Ziglerus in tr. de diaconis & di-

aconissis cap. 8. §. 9. & 10. p. 105. alii. 2) In illo igitur Hilario, cuius ipsa verba non retulit Schurtzfleischius, nihil equidem pro Pauli profectione, in Hispaniam expleta, inuenire potui, nisi polyhistor ille forte respexerit ad Hilarii commentationes in haec verba: *hoc igitur cum consummauero, & adsignauero eis fructum hunc, proficiscar per vos* Romanos *in Hispaniam. Scio enim, quoniam veniens ad vos, in abundantia benedictionis Christi veniam, certus de dispositione & gratia Dei, promisit, se in abundantia benedictionis venturum, quam praedicat, Christi.* Verum tamen etiam haec verba ambigua sunt. Nam certa illa praescientia Pauli, quae significatur his verbis: *certus de dispositione & gratia Dei*, intelligi potest aut de itineris Romani-Hispanicique exsecutione, hoc sensu: scio siue praescio, quoniam, quia certo veniam ad vos Romanos; aut de abundantia benedictionis Christi afferenda, hoc sensu: scio siue praescio, quod, si venero ad vos (quod quidem incertum est, sed tamen si venero ad vos) in abundantia benedictionis Christi certo venturus sim. Cum igitur obscurum sit, quomodo Hilarius sit intelligendus, obscurum atque irritum quoque est, quod ex eo ducitur, argumentum. Quandoquidem ex incertis nihil certi sequitur. Deinde 3) si duobus prioribus modis Paulum capiat Hilarius, falsus est & probabilitate caret. Sin vltimo modo, tum Pauli, in Hispaniam abitio, nihil inde praesidii capit.

## VIII. IO. CHRYSOSTOMVS, circa a. 390.

Octauus testis Io. Chrysostomus est, qui homil. 76. in Matthaeum secundum Natalem Alexandrum in selectis capitibus seculi I. diss. 14. p. 555. scripserit seqq. *Cum igitur biennium Romae exegisset in vinculis* (S. Paulus), *tandem dimissus est, deinde in Hispanias profectus inuisit illic Iudaeos quoque, ac tunc fortasse Romam reuersus est, quando & supplicium iussu Neronis pertulit.*

*Resp.* 1) Haec verba in Chrysostomi homiliis in Matthaeum non extant, extant tamen in praefat. commentar. in ep. ad Hebraeos, ac proinde ille Alexander ignauus historicus est, qui suis non vidit oculis.

oculis. Nihilominus tamen 2) in homilia indicata alia, quae huc facere videntur, verba insunt, quando ad illa Matthaei: *In vniuerso orbe praedicatur euangelium hoc in testimonium omnibus gentibus & tunc veniet consummatio*, Chrysostomus haec commentatur: *consummatio*, *scil. Hierosolymorum. Quod enim illud dicat* (Christus,) *quodque ante vrbis euersionem per mundum euangelium effusum sit, audi Paulum dicentem: in omnem terram exiuit sonus eorum, & rursus: a spe euangelii, quod audiuistis, quod praedicatum est in vniuersa creatura, quae sub coelo est*, κ ὁρᾷς αὐτὸν ἀπὸ Ἱερȣσαλὴμ εἰς Ἱσπανίαν τρέχοντα, & *videre potes, lector vel auditor, eum* (Paulum) *ab Hierosolymis ad Hispaniam currentem.* At vero illa ipsa αὐτοψία, quam testem Chrysostomus imponit his verbis: ὁρᾷς αὐτὸν κ. τ. λ. *Pauli in Hispaniam ingressum videre, lector, potes*, scil. Rom. XV, tantum abest, vt testimonii ipsius fidem firmet, vt potius fallaciae consequentis Chrysostomum accuset, condemnet (§. 1.). Nullum igitur illud quoque Chrysostomi testimonium est, quod in praefat. commentar. in ep. ad Hebr. perhibitum, supra iam recitauimus. Nullum quoque illud Chrysostomi est, homil. 7. de laude Pauli datum ita: *Postquam Romam ingressus est* (Paulus), *ibi quoque quanta cum modestia annunciauit veritatem · verum nec ibi subsistere contentus, etiam in Hispaniam percurrit.*

## IX. HIERONYMVS STRIDONENSIS circa a. 410.

Nonus testis Hieronymus est, qui ad Es. XI. ita commentatus est: (Iudaei atque Ephraimitae) *volabunt in humero Philistim per mare, h. e. primum maritimis praedicabunt Palestinis, & per mare volucri cursu pergent ad ceteras nationes, siue iuxta septuaginta interpretes: volabunt in nauibus alienigenarum, mare simul praedabuntur: quod de vnius Pauli apostoli exemplo intelligamus, qui per Pamphiliam & Asiam & Macedoniam & Achaiam & diuersas insulas atque prouincias, ad Italiam quoque, &, vt ipse scribit, ad Hispanias, alienigenarum portatus est nauibus.* (*)



(*) Hic perspicue quidem Hieronymus loquitur, Paulum NAVIBVS in Hispaniam portatum, quod tamen negat Emanuel Cajetanus Sousa loco su-

*Resp.* Credo equidem, beatum Hieronymum tum hic, tum in commentar. ad Amos. V. (*) arbitrari, Paulum in Hispaniam reuera esse ingressum, sed insimul etiam hoc credo, iter illud non esse nisi imaginarium, chartaceum, atque ex Rom. XV. per falsam consecutionem excogitatum, cum eo respexerit Hieronymus his verbis: *vt ipse Paulus scripsit.* Impotentem consequentiam illam non obliuione sepelire, sed, sicut & alia patrum ἄλογα, studiosissime obseruare ac mente memori asseruare debemus, non ad odium patribus conflandum, quos, si tempus est, excusamus, laudamus, (†) sed ad sanandam insaniam idololatriae patristicae, de qua nuperrime inter alia exposuit V. C. D. Io. Christoph. Koecherus, in libro de idololatria literaria p. 30. seqq. Dantur enim adhuc hodie

pra dicto, vbi pro TERRESTRI Pauli itinere in Hispaniam contendens, contra Hieronymum Baronii martyrologium aliaque plura auxilia implorat, quae cum debellauerit Cel. Harenbergus in Otiis Gandershemensibus p. 165. sq., hoc tantum commemoramus, Petrum de Marca, Hieronymi vel immemorem, vel potius negligentem, in Galliae suae honorem, in epistola ad Valesium supra dicta, iam ante Sousam, ita scripsisse: *Paulus Hispanias adiuit ad promulgandam illis in regionibus fidem. Atqui Hispanias petenti pergendum fuit per celeberrimam apud veteres viam illam publicam, quae ab Italia per Gallias in Baeticam ipsam ducit. Eius descriptionem exhibet non solum Antonini itinerarium a Nicaea per Arelatem, Narbonem, summum Pyrenaeum, Iuncariam, Barcinonem, & reliqua loca, sed etiam Strabo, qui sedulo se habuit in viae illius explicatione.* Verum enim vero, si Paulus ingressus in Hispaniam non est, frustra de viis, eo ducentibus, decertatur.

(*) Hieronymi verba in commentar. ad Amos. V. haec sunt: *Paulus Apostolus quasi turbo violentus & saeua tempestas, & tumentes maris gurgites, persequebatur, & opprimere nitebatur ecclesiam Dei, qui vocatus a Domino effusus est super faciem vniuersae terrae, vt praedicaret euangelium de Hierosolymis vsque ad Illyricum & aedificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat praedicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & a mari rubro, imo ab Oceano vsque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum & solem iustitiae, de quo legimus* (Psal. XIX, 7.) *a summo coelo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius; vt ante eum terra deficeret, quam studium praedicandi.*

(†) Subscribo Moshemio, viro in hac quoque eruditionis parte scientissime versato, qui in institutionibus historiae antiquioris p. 327: *Faueo ego*, inquit, *memoriae magnorum hominum, qui patrum vocabulo appellantur, neque laudibus, quas meruerunt, inuideo: at quae vitiosa in illis sunt, castiganda esse arbitror, ne alii exemplis eorum praecipites agantur.*

hodie viri, qui partim aperte, partim per multiformes obscurasque ambages aliis persuadere vel imperare volunt, vt errata, si modo a patribus proficiscantur, pro veritatibus exosculentur, ac pro melle lingant, saltim pingant, dissimulent, occultent. Itaque credo & confiteor, ratiocinium illud Hieronymianum, cui Pauli iter instructum est, vehementer laborare, nec conuenire cum recta ratione. (§. 1.) Nihilominus tamen credo & confiteor, gratias habendas esse Hieronymo maximas, (Epiphanio nullas §. VI.) quod originem figmenti cordis sui aperire nobis voluerit. Praeterea credo quoque & confiteor, magno vsui esse cautionem illam, quae praecipit, vt in historiis, a patribus allatis, examinandis attenti quaeramus, ex quo fonte illas hauserint, num facta suis oculis viderint, num relata ab aliis referant, num ipsi ex ratiociniis tantum historias ducant &c. Nam cum hodienum, quae insignis Dei gratia est, compotes rationis simus, iustum, aequum, ac necessarium est, vt beneficium illud diuinitus datum, rationem puta, ad excutiendas patrum historias grato gnauoque animo adhibeamus, non temere recusemus, non profane aspernemur. Iam igitur, cum ratio doceat, a proposito ad propositi praestationem nec in Paulo rite colligi, (§. 1.) deinde cum Hieronymus errores historicos quam plurimos pro veritatibus venditauerit, quod probat Cel. Stollii Nachricht von den Kirchen-Vätern p. 511 seqq. sequitur, Hieronymo, testi, nec aurito, nec oculato, nec aequali, fidem nullam hic esse habendam.

## X. THEODORETVS, circa a. 438.

Decimus testis huc vocatur Theodoretus, episcopus Cyri in Syria, qui in commentar. ad Psalm. 116. ait: *Postea* (Paulus) *in Italiam venit, atque in Hispanias inde abiit, insulisque in illo mari positis vtilitatem attulit.* Ῥωμαίοις μὲν γὰρ ἐπιστέλλων ἔφη· ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος εἰς τὰς Σπανίας δι᾽ ὑμῶν διελθεῖν. *Romanis enim scribens ait: Spero enim per vos Romanos pertransiens in Hispanias proficisci.*

*Resp.* Non nego, Theodoretum fuisse in illa haeresi, quam etiam in commentar. ad 2 Timoth. IV, 17. profitetur his verbis:

*Cum* (Paulus) *appellatione vſus, Romam miſſus fuiſſet, tum defenſione facta abſolutus fuit, atque in Hiſpanias profectus eſt, atque ad alias gentes excurrens, eis doctrinae lucem attulit.* Itemque in commentar. ad philipp. I: *cum autem illinc* (Roma) *in Hiſpanias abiiſſet* (Paulus) *atque his quoque diuinum euangelium attuliſſet, Romam reuerſus eſt capiteque truncatus*; ſed & ſimul affirmo, Theodoreti teſtimonium inniti Rom. XV, vnde tutum duci non poteſt argumentum. §. I. & IX.

## XI. EVTHALIVS, circa a. 459.

Vndecimus teſtis appellatur Euthalius, diaconus eccleſiae Alexandrinae, qui in Synopſi περὶ τῶν χρόνων τȣ̃ κηρύγματος τȣ̃ ἁγίȣ Παύλȣ καὶ περὶ τῆς διὰ μαρτυρίȣ αὐτȣ̃ τελειώσεως, (quam ex editione Laurentii Zacagnii repetitam & cum codice MSto Laudan. 2. collatam, Actis apoſtolorum in teſtamento ſuo Graeco Io. Millius praefixit p. 252. ſeq. tetigitque in prolegomenis §. 905. 940. 996.) haec habet: Εὐσέβιος δὲ τȣ̀ς μετέπειτα χρόνȣς ἀκριβῶς περιεργασάμενος, ἱςόρησεν ἡμῖν ἐν τῷ δευτέρῳ τόμῳ τῆς ἐκκλησιαςικῆς ἱςορίας τȣ́τȣ καὶ τὸ μαρτύριον, καὶ φησι, τὸν Παῦλον ἄνετον διατρίψαι, καὶ τὸν τȣ̃ Θεȣ̃ λόγον ἀκωλύτως κηρῦξαι, ἐπισημηνάμενος, ὅτι τότε μὲν ἐπὶ Νέρωνος ἀπολογησάμενον τὸν Παῦλον, αὖθις ἐπὶ τὴν τȣ̃ κηρύγματος διακονίαν λόγος ἔχει ςείλασθαι, ὑπὸ Καίσαρος ἀπολυθέντα, καὶ εὐαγγελίσασθαι ἐφ' ἑτέροις δέκα ἔτεσιν· (ἐν τȣ́τοις τοῖς ἔτεσι λέγεται ἀποδημῆσαι εἰς τε Ισπανίαν τῆς Γαλλίας καὶ Ιταλίας ςείλασθαι τὸν τȣ̃ Χριςȣ̃ κήρυκα, καὶ κατασπεῖραι τὸν λόγον, καὶ πολλȣ̀ς τῶν πατρίων ἀποσπάσαι θεῶν, καὶ τῇ ποίμνῃ τȣ̃ Κυρίȣ ἐπισυνάψαι. Ὅτι δὲ ἐν Ισπανίᾳ γέγονε κηρύσσων ὁ δὲ Παῦλος, ἐν τῇ πρὸς Ρωμαίȣς ἐπιςολῇ τȣ̃το διαγορεύει, γράφων ὧδέ. νυνὶ δὲ μηκέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλίμασι τȣ́τοις, ἐπιποθίαν δὲ ἔχων τȣ̃ ἐλθεῖν πρὸς ὑμᾶς· ἐλπίζω γὰρ διαπορευόμενος θεάσασθαι ὑμᾶς· ἐπεὶ ȣ̃ν δὲ πρὸ τȣ̃ ἐν Ρώμῃ γενέσθαι μελέτην εἶχεν εἰς Ισπανίαν κηρύξαι, εὐοδωθὲν αὐτῷ πρὸς τὴν πρώτην καταντῆσαι τῶν πόλεων, ȣ̓κ ἠμέλησε τῶν προδεδογμένων· εἰ καὶ πάλιν ἀνακάμψας εἰς Ρώμην, ἐν αὐτῇ τῶν μακρῶν ἀναπαύεται πόνων.) κ. τ. λ. *Sed Euſebius illos vitae Paulinae annos, ad quos Lucas in actis ſuis apoſtolicis progreſſus non eſt, perſecutus, expoſuit in hiſtor. eccleſ. libr.*

*libr. 2. etiam Pauli martyrium, dixitque, Paulum Romae in custodia libera vixisse, ac verbum Dei praedicasse, simul addens, quod in scriptura sacra Paulus legatur eo quidem tempore coram Nerone auditus, ac deinde rursum dimissus ad munus suum praedicandi obeundum, quod etiam dehinc obierit ad decem annos. (In his decem annis dicitur peregre abiisse, atque in Hispaniam ex Gallia Italiaque missus fuisse hic Christi praeco, & seminasse verbum divinum, multosque a patriis diis convertisse ac gregi Christi adiunxisse. Quod autem in Hispania praedicauerit Paulus, ipse in epistola ad Romanos indicat his verbis: nunc vero ego, locum non habens amplius in his regionibus, cupiditate autem flagrans veniendi ad vos a multis annis, tandem aliquando, si forte proficiscor in Hispaniam, veniam ad vos. Spero enim pertranseundo visitare vos. Si igitur, antequam Romam venerat Paulus, in Hispaniam proficisci iam parabat, multo magis illi, postquam Romam venit, curae cordique fuerunt consilia pristina, quandoquidem (*vel: *etsi) Romam reversus, martyrium ibi subierit.*

*Resp.* In hac relatione multa sunt addubitanda, ac 1) ipse textus, sive ipsa verborum αὐθεντία, cum in Vaticanis Codicibus MSS. ex quibus Euthalium suum depromsit ediditque Laurentius Zacagnius, non extent verba his vncis () inclusa, quae in vno tantum N. T. codice MS. occurrunt, quem Millius in prolegom. §. 1436. describi: nominatque Laud. 2) Dubium etiam est, an verba illa, vncis inclusa, quae in Eusebii historia ecclesiastica extare dicuntur, (quod antecedentia & consequentia postulare videntur,) ibi vnquam extiterint; certe in hodiernis Eusebii editionibus excusis non occurrunt. §. 3. 3) Dubia, imo verosimiliter falsa atque elumbis illa ipsa vncorum historia est, cum tria illa praesidia, quibus innititur, neruis careant. *Vnum praesidium* ex promisso Pauli Rom. XV. petitur, sed frustra §. I. *Alterum praesidium* ex vicinitate loci paratur, nimirum *si Paulus Corinthi versans*, atque *ab Hispaniis adhuc remotissimus, Hispanias ingredi constituit*, Rom. XV. *multo magis in vicinitate constitutus, i. e. Romam progressus,*

*Hispa-*

*Hispaniam intrasse existimandus est*, quasi is, cui mille milliaria conficienda sunt, si quingenta confecit, in vicino versetur, nec satis longa locorum intercapedo inter Romam Hispaniamque supersit, & quasi solus locus, non aliae περιστάσεις, Paulinis itineribus impedimento esse potuerint. Quod quam falsum sit, vel ex §. I. intelligitur. *Tertium praesidium* quaeritur ab Hispaniarum oblivione & contemtione incredibili, aut absurda, Paulo tamen attribuendis, nisi Romae constitutus, promissum iter Hispanicum consummarit. Quasi vero absurda Hispaniarum obliuio & contemtio Paulo necessario tribuenda sit, si in Hispaniam non peruenerit; cum fieri potuerit, vt apostolus Romae versans, iter illud non tam contemneret, vel oblivisceretur, quam potius, rationibus grauioribus motus, in aliud tempus prorogaret, atque interea ad supplicium Romae inopinatus raperetur, antequam adsequi hoc propositum posset. Id quod non fieri tantum potuit, sed & haud incredibiliter factum est; quod melius, quam Euthalius, demonstrauit Iacobus Capellus in histor. Apostol. p. 29. seqq. Hic tamen Euthalius lectores suos mirum in modum rogat: Πείθου λοιπὸν Εὐσεβίῳ τῷ χρονογράφῳ, καὶ τὴν ἱστορίαν εὐγνωμόνως ὡς φίλος εἰσδέχου. Οἱ γὰρ τοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ πειθοῖ καὶ πίστει εἰς τὰς τῶν πατέρων διδασκαλίας καθίσανται κληρονόμοι, *vt Eusebii hanc narrationem amice amplectantur, quoniam Christiani per fidem, talibus patrum narrationibus habitam, regnum coeleste adipiscantur.* Quo iudicio quid ineptius? Iam memoriam recordor illius lexici, quod a. 1477. in 4to typis expressum atque in publica academiae huius bibliotheca asseruatum, VOCABVLARIVS audit, cuius praefatio inter alia etiam haec complectitur verba: *Quem* (vocabularium) *quilibet fidelis, qui potest, meliorare tenetur, vt vitam aeternam possideat.* Itaque cum Euthalius, vel quisquis autor historiae vncorum sit, syncipůt & occiput habeat velut entia, nimium simplicia, actum est, ilicet.

*Monitum.* Quod autem attinet ad *Dionysium Areopagitam*, *Hippolytum*, episcopum Portus Romani, *Flauium Dextrum*, *Dorotheum*, episcopum Tyri, reliquos, qui a quamplurimis viris inter testes quinque seculorum connumerantur, de illis, si Deus voluerit, & alio & suo tempore dicam.

SECTIO

# SECTIO II.

# DE PAVLI ITINERE HISPANICO

## PRAEFATIO

Quamquam ex quinquesaeculari Patrum conclamatione haud obscure videri possit, actum esse de Paulo cursore Hispanico, ut cum Chrysostomo loquar (§. VIII differt. superioris), ita quidem, ut recentiores illius itineris auctores hactenus audiendi non sint, tamen in huius itineris solenniori funere iuuat adspectare funeris processum imaginesque, iuuat audire cantus naeniasque praeficarum ac parentationem, iuuat reliqua persoluere iusta. Nimirum aetatis etiam sequioris scriptores excutiendi sunt vel propterea, ut planum fiat, quam non probandi sint illi, qui opiniosissimi suspicantur, recentiorum scriptorum, ad huius itineris praesidium aduocatorum, testimonia *fortasse* niti libris vetustis ac fide dignis sed deperditis. Qua ratione Gallicum Pauli apostoli iter Gallus illustrissimus Petrus de Marca defensum iuit in *epistola ad Henr. Valesium de tempore, quo primum in Galliis suscepta est Christi fides*, ubi Epiphanii fidem vindicare studet his verbis: *excipiunt viri eruditi, nescire se, ab ullo veterum auctorum prodita, quae scripsit Epiphanius. Scilicet. Sed non ideo minus sunt vera, quae gesta refert. Petiuit ille suam narrationem ex vetustiori scriptore, quo, ut plerisque aliis, caremus. Fortasse ex Hegesippo illud hauserat, qui in pandendis ecclesiarum originibus se exercuit. Extabat integrum opus Hegesippi non solum Eusebii sed etiam Hieronymi*

ASYLVM I. in dubitationibus.

*ronymi temporibus, atque adeo Epiphanii. Supererat quoque Georgii Syncelli aetate, qui eius auctoris fragmentum profert in chronico, aliud a fragmentis, quae recitat Eusebius.* Quam regulam si in diiudicandis factis sectaremur, 1) fidei historicae regulas in obliquum flecteremus, erroribusque chronicis quam plurimis sacrum asylum aperiremus. Fac enim, Titium velle verba facere pro homine illo, qui teste Maximil. Misson in s. Reise in Italien p. 486. edit. Lips. a. 1701. palum carni Pauli inditum, Romae monstrabat, tum ad illud errorum asylum confugere ac dicere posset: *fortasse ille homo narrationem suam petiuit ex vetustiore scriptore, quo, ut plerisque aliis, caremus.* Sed & 2) contrariae sententiae, in illo asylo, patrocinari possemus, dicendo: *fortasse contraria historia extat in vetustiore scriptore, qui fortasse docet, Paulum non ingressum esse in Gallias, neque palum carni Pauli inflictum Romae monstrari.* Id quod D. Ittigius hist. ecclés. secul. I, p. 370 iam obseruauit his verbis: *quando Carolus Daubuzius ait: fortasse in deperditis Iustini martyris & Clementis Alexandrini scriptis hunc Iosephi locum legi, pari facilitate contrarium fortasse opponi poterit.* Haec igitur impediunt, quo minus illam errorum palliandorum regulam in Petro de Marca amen. Huius viri erat adferre rationes suae coniecturae probabiles, quas ipse nec attulit nec adferre potuit. Nam nihil est, quod de Hegesippo narratur, siquidem ex fragmentis Hegesippi, ab Eusebio, Hieronymo, Epiphanio, Photio ac Syncello excitatis, iudicare licet, ipsum attigisse res, in Hispania Galliaque gestas, plane nullas. Neque constat, an Hegesippum Epiphanius, Hieronymus, Photius ac Syncellus suis manibus oculisque vnquam vsurpauerint. Certe Epiphanius ipsum Hegesippum nunquam nominauit, sed ex Eusebio, quem haeres. XXIX, §. 4, expresse nominauit, Hegesippi fragmenta hausisse videtur, in quo consentio cum Dionysio Perauio in

animad-

nimaduersionibus ad haeres. LXXVIII. n. VII. & XIII. Sed de primo hoc asylo satis. Pergendum nunc est ad aliud asylum, quod idem ille Petrus de Marca consecratum esse voluit, quandoquidem testes inualidós SOLIS POSSIBILITATIBVS munire cupit. Nam in epistola ad Henr. Valesium, supra iam dicta, §. VI, haec verba facit: *auctoritate Isidori, qui sua ex prioribus haurire potuit, se tueri possunt Hispani aduersus opinionis confictae* (de Iacobi in Hispaniam aduentu) *nouitatem, quae illis opponi solet.* Hac igitur via siquis contra nos insurgere iterque Pauli Hispanicum tueri voluerit, respondemus, 1) nos disputare hic de probabilitatibus, non de possibilitatibus, quae quantum a se invicem differant, ex disciplina Logica discere debuit Gallus ille illustrissimus. Respondemus 2), illam methodum annumerandam esse in ignorantiae asylis, judice D. Dan. Frider. Hoheiselio, qui in doctrina philosoph. de Ideis &c. p. 54 ait: *a pueris adsueti sumus, loco eius quod dicere deberemus: nos nescire, potius regerere: possibile est hoc fieri.* Itaque ergo, si plane ac perspicue loqui voluisset ille Gallus, sic scribere debuisset: ego (Petrus de Marca) nescio, certe nescio, nesciunt Hispani quoque, an Isidorus illam suam narrationem ex prioribus hauserit. Qualem confessionem facile equidem concederem, haud impugnarem. Sic coelum ruere heri potuit, i. e. heri nesciebam, an heri ruiturum sit coelum, quod tamen non ruisse heri, hodie certo scio. Sic mihi possibilis olim erat Pauli ingressus in Hispaniam, i. e. nesciebam olim, an Paulus in Hispaniam ingressus fuerit. Hodie autem probabiliter scio, illum nunquam in Hispaniam peruenisse. Respondemus 3), ex illo stilo consequi, ut, quo quis coecior, atque indoctior est ac plura ignoret, eo plures ille nouerit possibilitates, quas proinde appellare possumus possibilitates coecitatis, tenebrarum atque ignorantiae, a quibus longe diuersae sunt

ASYLVM ALTERVM in possibilitatibus.

possibilitates visionis, luminis atque intelligentiae. Res clara est exemplo hominis coeci atque oculis bene valentis.

## XII. PSEVDO-DOROTHEVS a. 525.

Ex Dorothei, episcopi Tyrii, sub a. 316. florentis, Synopsi de vitis apostolorum & discipulorum Christi, ad iter Pauli Hispanicum euincendum hoc adfertur testimonium: *Paulus a Hierusalem euangelii praedicationem exorsus, ad Illyricum vsque ad Italiam & Hispanias praedicando progressus est.*

*Resp.* Hoc testimonium condemnatur iudicio 1) *suppositionis* & 2) *fabularum*, cum Synopsis illa non solum episcopo Tyrio Dorotheo falso tribuatur auctori, sed ineptis etiam multisque fabulis atque erroribus scateat. Conf. Caue in Histor. liter. scriptor. eccles. p. 103-109, Baronius T. I Annal. atque in notis ad martyrol. Rom. 5 Iunii, Posseuinus in apparatu sacro, Salmasius de episcopis & presbyteris, Riuetus Crit. sacr. lib. III, c. 15. Robertus Cocus in censura p. 115, Papebrochius in Actis Sanctor. T. I Iunii p. 435 seq. & p. 392, Molanus de picturis, aliique, quos in sua Dorothei edit. p. 409 nominat D. Io. Albertus Fabricius. Bellarminus in de scriptoribus eccles. *non meminissem*, inquit, *libri tam fabulosi, nisi vidissem a multis citari & non minimi fieri.* D. Buddeus in isagoge histor. theol. ad theologiam p. 1262 ait: *fabulis atque commentis prorsus illepidis scatet. Hinc nullius apud eruditos est auctoritatis.* (*) Annum autem eum libello dedi, quo primam huius lucis vsuram accepit. 3) Ipsa *verborum* αὐθεντία se male habet. Nam verba, supra allata, latina extant quidem in magna patrum bibliotheca edit. Coloniens. T. III, p. 148. verum enim vero vnde illa petita

(*) Atqui, iudice Cicerone Orat. pro Flacco, *nulla auctoritas est in eo testimonio, cuius auctor inuentus est nemo.* addo: & cuius auctor saepissime deprehensus est mendacissimus.

tita sunt? Graece enim non habentur neque in edit. Fabricii, neque in Caroli Cangii selectis ad illustrat. Chronici Paschalis p. 435. 4) haud obscurum est, impostoris animo obuersatum esse locum Rom. XV, de quo dixi supra §. 1. Quare, 5) etiamsi fingamus, hunc foetum Dorothei esse genuinum, nihil tamen praesidii exspectandum esset a scriptore seculi III, teste nec oculato nec aurito sed fabuloso.

*Scholion.* D. Fabricius Dorotheum suum ex Cangio curauit exprimendum, verum neque Fabricius neque Cangius genuinam lectionem curate exhibent. Quod vt in Gallicis Hispanicisque apostolis putatitiis videamus, percurramus Petrum §. 1. Crescentem §. 18. atque Andronicum §. 20. a) PETRVS dicitur *praedicasse euangelium* ἐν γαλλίᾳ, *in Gallia, in Ponto, Cappadocia, & Bithynia.* Hic Pseudo-Dorotheus respexit ad 1 Petr. I, 1. Itaque legendum: ἐν γαλατίᾳ in Galatia, aut, cum duplex Galatia sit, saltim minus fallaciter vertendum: in Galatia. Porro b) §. XVIII legitur: κλήμης. *Clemens, cuius meminit apostolus in epistola secunda ad Timotheum, episcopus* χαλκηδόνος τῆς ἐν γαλλίᾳ, *Chalcedonis in Gallia, fuit.* Vbi pro κλήμης *Clemens*, legendum est: κρέσκης *Crescens*, tum quia 2 Timoth. IV, 10 Crescentis, non Clementis, mentio fit, tum quia Clemens a Pseudo-Dorotheo infra n. 59 recensetur. Deinde pro *Chalcedonis* IN GALLIA (quae lectio Blondellum pungit p. 495 edit. Fabric.) ponendum est: Chalcedonis *in Galatia* vel *Bithynia*, quae Chalcedo Bithyniae appellatur infra p. 485 n. LXI, & aliunde notissima est. Deinde c) n. XX *Andronicus* ἐπίσκοπος Σπανίας, *Hispaniae* episcopus fuit. Vbi Blondellus p. 495 legit: *Pannoniae episcopus.* Recte. quod etiam confirmatur Codice MSt. Paris. qui legit: ἐπίσκοπος Παννονίας. Conf. Cangius in selectis ad illustrat. Chronici Paschalis p. 436. Denique d) nec praetereundum est, quod Blondellus p. 495 Asyncritum statuat *episcopum Hispaniae*, cum Fabricius & Cangius illum Asyncritum

repreſentent epiſcopum ουρβανίας *Vrbaniae*, & Codex MSt. Pariſ. regius legat, epiſcopum ἑιρηνίας. Conf. Cangius l. c. p. 436.

## XIII. GREGORIVS I ſiue magnus circa a. 586.

Hic Hiſpanicae Pauli pergrinationi dicitur teſtari libr. 31 Moral. c. 22: *ecce ipſe, quem ad teſtimonium iam ſaepe deduximus, Paulus, cum nunc Iudaeam, nunc Corinthum, nunc Ephesum, nunc Romam, nunc Hiſpanias peteret, vt in peccati morte iacentibus aeternae vitae gratiam nunciaret, quid ſe aliud quam eſſe aquilam demonſtrabat.*

*Reſp.* 1) Haec verba *c. 22.* libr. 31 Moral. extare dicuntur ab Natal. Alexandro hiſt. eccleſ. ſecul. I, diſſ. 14; Baronio in Annal. ad a. Chriſti 61, aliisque, ſed falſo, cum extant capite vltimo ſ. 37, libri 31 Moral. 2) quamuis ambigue loquatur Gregorius, ita vt videri poſſet ſignificaſſe Pauli iter in Hiſpaniam intentum atque affectum, non perfectum; tamen 3) nihil nocet, etiamſi de perfecto illo itinere intelligatur, quippe teſtis non claſſicus, imo claſſicorum auctorum ineptus hoſtis, ac fabularum amplificator. Conf. Prof. Stollii Hiſtorie der Theol. Gelahrheit paſſim. Gregorius 4) mentiendi hic habebat cauſſas, quae ex Romanae Hiſpanicaeque eccleſiarum dignitate Pontificisque Romani praetenſa in Hiſpaniam monarchia paullo poſt pellucebunt.

## XIV. VENANTIVS FORTVNATVS circa a. 593.

Cuius teſtimonium extat libro 3 de vita Martini p. 396, T. VI, part. 2 magnae bibliothecae patrum, edit. Colon. v. 1618.

*Quid ſacer ille ſimul Paulus, tuba gentibus ampla?*
*Per mare, per terras, Chriſti praeconia fundens,*

Euro-

*Europam atque Asiam, Lybiam, sale, dogmate, complens,*
*Et qua sol radiis tendit, stilus ille cucurrit,*
*Arctos, meridies, hinc plenus, vesper & ortus.*
*Transit & Oceanum, vel qua facit insula portum,*
*Quasque Britannus habet terras, atque vltima Thule,*
*Buccina concrepuit regiones vna per omnes.*

*Resp.* 1) Horatii, in arte poetica, vox est: *Pictoribus atque poetis quidlibet audendi semper fuit aequa potestas.*

Ein Mahler mahlt ein Bild, so wie es ihm gefällt.
Ein Dichter dicht't was her, und schickts so in die Welt.
Bey solcher Freyheit nun muß man auch in Geschichten
Sich im geringsten nicht nach Dichtereyen richten.

2) Hyperbolas libentissime venatur noster Venantius. Sic libro VIII poematum p. 360. *Fortunatus ego* -- -- -- --

*Pictauis residens, qua Sanctus Hilarius olim*
*Natus in vrbe fuit, notus in orbe pater.*
*Eloquii currente rota, penetrauit ad Indos,*
*Ingeniumque potens vltima Thule colit,*
*Perfundens cunctas, vice solis, lumine terras,*
*Cuius dona Sacae, Persa, Britannus habet.*

& libro VI poemat. p. 351.

*Post aliquas vrbes, Pictauas attigit arces* (Gelesuintha,)
*Inclitus ille quibus vere amplus Hilarius oris*
*Et satus & situs est, ore tonante loquax.*
*Thrax, Italus, Scytha, Persa, Indus, Geta, Daca, Britannus*
*Huius in eloquio spem bibit, arma capit.*
*Sol radio, hic verbo generalia lumine fundunt,*
*Montibus ille diem, mentibus iste fidem.*

& libro X poematum p. 377.

*Qui* (S. Martinus) *modo de Gallis totum mire occupat orbem,*
*Et virtus pergit, quo pede nemo valet.*

*Qui, velut alta Pharus, lumen pertendit ad Indos,*
*Quem Hispanus, Maurus, Persa, Britannus amat.*
*Hunc oriens, occasus habet, hunc Africa & Arctos.*
*Martini decus est, quo loca mundus habet.*
*Quique per Oceani discurrit marginis vndas,*
*Omnibus vt praestet, circuit orbis iter.*

Conuiuium illud splendidum, quo b. Martinum a. 386 Maximus, Augustus, exceperat, Sulpicius Seuerus, historicus ipse ὑπερβολικός, libr. de Martino c. XX memoriae mandauerat his verbis: *Martinus ad conuiuium venit, mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Conuiuae autem aderant, veluti ad diem festum euocati, summi atque illustres viri &c.* Quod deinde noster Fortunatus libr. 2 de vita Martini p. 390 etiam descripsit, sed maiori cum fuco & vento:

*Augusti* (Maximi) *obsequiis fremit vndique concitus orbis,*
*Diuitiasque pariter producens deliciasque,*
*Quas habet Indus, Arabs, Geta, Thrax, Persa, Afer, Hiberus,*
*Quod fert meridies, Arctos, occasus & ortus,*
*Quod boreas, aquilo, libs, Circius, auster & eurus,*
*Quod Geon & Phison, Tigris, Euphratesque redundant,*
*Rhenus, Arar, Rhodanus, Tibris, Padus, Hister, Orontes,*
*Quod mare, terra, polus, pisce, alite, fruge ministrat,*
*Emblema, gemma, lapis, toreumata, thura, Falerna,*
*Gazaque, Creta, Samos, Cyprus, Colophona, Sareptis.*
*Lucida perspicuis certantia vina lapillis,*
*Vix discernendis crystallina pocula potis*
*Inde calix niueus variat per vina colores.*
*Hinc mentita bibunt patera fucante Falerna,*
*Hinc abacum picto bombycina flore decorant*
*Arte laborata, vel qualia pensat Aragne,*
*Serica purpureis sternuntur vellera villis*
*Inlita blatta toris: aurumque intermicat ostro,*
*Totaque permixtis radiant velamina gemmis.*

Huc

Huc accedit 3) quod Fortunatus non tam de ipso Paulo quam potius de stilo siue *literis ipsius*, & quidam tempore Fortunati, Hispaniam percurrentibus loquatur, *Pauli stilus*, inquit, cucurrit &c. quo sensu si poetam capiamus, facile largior, idque salua sententia mea, literas Paulinas tum in Hispaniis, tum in omnibus cognitis terrae partibus seculo sexto fuisse lectitatas.

## XV. ISIDORVS HISPALENSIS a. 595.

Hic archiepiscopus Hispanus Hispaniense Pauli iter testatum fecisse dicitur in tract. de vita & morte Sanctorum vtriusque testamenti c. LXXI, vbi leguntur sequentia: *Hic Paulus, dignitatem meruit apostolatus, atque plus omnibus laborans, multo latius inter ceteros verbi gloriam seminauit, & doctrinam euangelicam sua praedicatione compleuit. Incipiens enim ab Hierosolymis vsque ad Illyricum, inde ad Italiam Hispaniasque processit, ac nomen Christi multis gentibus manifestauit, quibus non fuerat declaratum.*

*Resp.* 1) *In hoc libello complura reperiuntur coagmentata mendacia*, vti scribit ipse Baronius not. ad Martyrol. Roman. ad 25 Iulii. Quare 2) tum ipse Baronius annal. ad a. 816 ac in notis ad Martyrol. Rom. 1 Maii, 25 Iulii & 25 Augusti, tum Natalis Alexander Hist. ecclesi. secul. VII, c. 4, art. 4, tum complures alii viri docti hunc libellum Isidoro suppositum censent. Verum enim vero, licet hunc tractatum pro foetu Isidori genuino agnoscamus, nihil inde emolumenti in Hispaniense Pauli iter redundat, cum 3) inhabilis testis sit Isidorus, qui illud ex Rom. XV excogitauit (§. I.), & 4) mentiendi caussas habuit in honore patriae, regnique Pontificii dignitate, cuius ipse magnum fulcrum fuit, Concilii Toletani octaui can. 7 praedicatus: *nostri seculi doctor egregius, ecclesiae catholicae nouissimum decus, praecedentibus aetate postremus, doctrinae comparatione non infimus, atque quod maius est, seculorum finitorum doctissimus, cum reuerentia*

*tia nominandus Isidorus &c.* Itaque ergo in huius Isidori auctoritatem Vir doctissimus Io. Christoph. Harenbergus in Otiis Gandershemensibus sacris, Traiecti ad Rhenum superiori anno excusis, p. 168 culpam quandam haud iniuste transfert, quod opinio de Pauli itinere Hispaniensi confecto tantas vbique vires acquisiuerit: *Ob tanti viri auctoritatem*, inquit, *postea certatim crediderunt vniuersi, rem ipsam ita euenisse, nec ulla dubitatione esse infringendam.*

*Scholion.* Isidorus noster in illo libello tres praeterea indicat apostolos, vnum in Galliam, reliquos in Hispaniam penetrantes, quos age perlustremus ad Isidori characterem animi in Hispanicis Gallicisque rebus quodammodo explorandum. a.) *Petrus* dicitur c. LXIX *in Gallitia, Ponto, Cappadocia, Bithynia, Asia atque Italia euangelium praedicasse.* p. 543 edit. Io. Alb. Fabricii, vbi pro Gallitia legendum est: Galatia. Respicitur enim ad 1 Petr. I, 1. aut Isidorus dicendus est errauisse. b.) *Philippus* apostolus perhibetur c. LXXIV, *Galatis praedicasse - & in Hierapoli Phrygiae - obiisse - & simul cum filiabus suis ibidem requiescere.* Hic dominatur confusio. Nam pro Galatis, quod editio Fabricii exhibet, Baronius not. ad Martyrol. Rom. 1 Maii legit: *Gallis.* Audiamus ipsa Baronii verba: *Isidorus - addit, & Gallis euangelium praedicasse; sed puto, Galatis pro Gallis esse restituendum. Galatae enim, Gallorum coloni, Phrygiae partem incoluere. Plin. lib. 5, c. ult.* Quam Baronii annotationem Petrus de Marca in epistola, saepius iam allata, stomachatur his verbis: *possumus quoque Philippi apostoli operam Galliis vindicare ipsisque Britanniis ex Isidoro Hispalensi lib. de vita & morte sanctorum c. 74 - sed quoniam hunc apostolum Gallis quoque tum Baronius, tum eo duce alii subtrahere conantur, narrationem istam ad Galatas Asiaticos traducendo, non pigebit viri eruditissimi, licet e Nouatorum grege, Vsserii Armachani verba hic transscribere e cap. 2 de antiquitatibus ecclesiarum Britannicarum:* quod autem de Philippi

lippi in Galliis apostolatu habet Freculfus a Malmesburiensi citatus, ex Isidori libro de patribus utriusque testamenti cap. 74 ad verbum expressit. Apud utrumque enim legimus: Philippum Gallis praedicasse Christum. Neque hic mihi Baronii coniectura placet, Isidori ista a Gallis nostris ad Galatas Asiaticos traducentis: multoque minus nuperi operum Isidori editoris, Iacobi Breulii temeritas, Galatis pro Gallis in ipso textu (sine vlla veteris lectionis commemoratione) reponentis. Nam praeterquam quod Isidorus in hoc ipso opere c. 82, & in officio Toletano (quod Gothicum & Mozarabum vulgo appellatur) itemque Iulianus Toletanus Archiepiscopus in Nahum prophetam scribens & Beda (vel quicunque autor fuit Collectaneorum & florum) Philippo Galliam assignant: idemque Gallis praedicauisse Christum legitur in libello de festis apostolorum, qui in Hieronymiano Martyrologio MSt. habetur: (ex quo pleraque omnia in librum suum de patribus noui testamenti transscripsit Isidorus.) illa barbararum gentium Oceano coniunctarum mentio, Europaeos Gallos, non Gallograecos, ab Isidoro intellectos esse satis euincit. *His adiungendum putaui testimonium vetustissimi codicis MSti ex bibliotheca S. Germani Parisiensis, in quo iste tractatus Isidori ante octingentos annos descriptus, vna cum aliis eiusdem auctoris libris continetur, vbi antiqua lectio disertissime praefert, Philippum Gallis praedicasse, quemadmodum cap. 82 habetur, Galliam illi fuisse assignatam.* Hactenus huius vnicae vocis historia, de qua haec mea κρίσις est, verum tenere Baronium, & verum tenere Petrum de Marca. Scilicet vero consentaneum est, Isidorum scripsisse: *Gallis*, & significasse *Gallos*, die Franzosen. Sed & vero consentaneum est, Isidorum versari in errore, cum Galatis Asiaticis, non Europaeis, praedicauerit Philippus. Cuius rei plura sunt argumenta, vnum est, quod de Gallico Philippi itinere sileant historici vetustissimi, alterum est, quod in Phrygia prope Galatiam ori-

entis Philippus dicatur esse sepultus. Iam vero tam grandes saltus, quanti ex Asia in Galliam sunt, sine rationibus cogentibus haud praesumuntur. Tertium est, quod non alibi solum, sed etiam in hac ipsa oratione Philippica Isidorus se turpiter dedit commemorando filias Philippi apostoli, quas Philippo, non apostolo, sed euangelistae atque vni ex septem diaconis mensae Lucas tribuit Act. XXI, 8. 9. Quam confusionem, a Baronio l. c. exagitatam, lubenter praeteriit noster Petrus de Marca, scilicet ne Isidori auctoritas aliquid detrimenti caperet. c.) *Iacobus filius Zebedaei XII tribubus, quae sunt in dispersione gentium, scripsit, atque Hispaniae & occidentalium locorum populis euangelium praedicauit, & in occasu mundi lucem praedicationis infudit. Hic ab Herode tetrarcha caesus, occubuit. Sepultus in Carmarica.* Haec Isidorus c. 72 memoriae mandauit, in quibus multiplicem docuit confusionem, vnam, quod epistolam, a *Iacobo minori filio Alphaei* ταῖς δώδεκα φυλαῖς ταῖς ἐν τῇ διασπορᾷ scriptam, *Iacobo maiori, Zebedaei filio*, assignauerit. Conf. Wolfii Cur. philolog. ad epistol. Iacobi p. 7. Altera est, quod, Iacobum *Hispaniae & occidentalium locorum populis euangelium praedicasse*, finxerit. Compar. Ittigius sec. I, p. 444, & Cel. Harenbergus in Otiis Gandershemensibus p. 166 sq. Petrum de Marca excipientem, quod Isidorus sua ex prioribus haurire potuerit, supra iam audiuimus. Tertia confusio est, quod Iacobum maiorem ab Herode TETRARCHA interfectum tradiderit, quem ab Herode Agrippa Hierosolymis gladio caesum certo scimus. Vid. Wolfii Cur. philolog. ad Act. XII, 1, & Nathanael Lardneri fides hist. euangel. lib. I, p. 25. Quarta confusio est, quod Iacobum in *Carmarica sepultum* fabuletur.

## XVI. BRAVLIO, episcop. Caesar-Augustanus, mortuus a. 646.

Hispanus hic Hispaniense Pauli iter dicitur affirmasse in libello *de aduentu sanctorum apostolorum Iacobi, Petri & Pauli, in Hispanias.*

*Resp.* Hic libellus, teste Nicolao Antonio in bibliotheca veteri Hispan. libr. V, c. 5. n. 241, extat in bibliotheca monasterii S. Aemiliani cucullati, vulgo San Millan de la Cogolle. Sed

1.) quid prouocatur ad scriptum obscurum? In mentem mihi iam venit Fridr. Spanhemius, qui dissert. de aequalitate veterum metropoleon ad canon. vi concil. Nicaeni, contra Leonem Allatium ita scribit: *Siqui subinde fauere testes videntur, hos fere (Allatius) solus in Vaticana explorat, legit, exscribit. Protraherentur vtinam in publicam lucem, ea qua decet fide ac religione, & integra illa atque illaesa, quae siue vetustiorum siue recentiorum asseruat vrbs monumenta. - - - Authores, qui grauiter & cum iudicio citantur, vt minimum excusi esse debent, & huiusmodi, qui in omnium manibus versentur.*

2) Interim adsentior Cel. Harenbergo, qui in Otiis Gandershemensibus p. 173 ait: *S. Braulioni libellus ille de aduentu sanctorum apostolorum Iacobi Petri & Pauli in Hispanias, si quis exstat, fuit suppositus. Ildephonsus enim aliique, qui Braulionis scripta recensent, libellum illum omittunt. & quis vnquam, in Hispanias iuisse Petrum, adfirmare sustinuit? ne Hispanis quidem ipsis ea fabula videtur quodammodo probabilis, qui alioquin eum honorem, credo, ambabus adrepturi sibique vindicaturi essent manibus.*

3) Denique etiamsi in lucem prodiret iste Braulio, ecquid tandem fide dignum ab eo exspectemus, qui & nouellus & Hi-

ſpanus eſt, quem παλγειδομανία, dignitatisque amplificandae lucrum ſuſpectum facit.

## XVII. SOPHRONIVS, epiſcop. Hieroſolymitanus, mortuus a. 636.

Hunc Sophronium, tanquam in *Sermone de natali apoſtolorum* Paullini in Hiſpaniam itineris teſtem, appellauit Baronius in annalibus ac notis ad martyrol.

*Reſp.* 1) Baronius ipſa Sophronii verba haud excitauit.

2) Immo in Annal. ad a. 636, T. 8, p. 341 nihil ſcriptorum Sophronii extare dicit praeter duas homilias, vnam in natali domini habitam, alteram de Sanctis angelis exponentem, atque vnicam epiſtolam ad Honorium & Sergium aduerſus Monothelitas. Deinde nec Natali Alexandro, nec Caueo iſte ſermo innotuit.

3) Nec in adductis homiliis literisque de Paulo, in Hiſpaniam profecto, vlla iniicitur mentio. Baronium in mente habuiſſe Sophronii translationem Graecam catalogi Hieronymi de ſcriptoribus eccleſ., vero ſimile eſt. At enim vero

4) nec ita magnum ſtat pretium merci, cum nulla cauſſa grauis ſubſit multiplicandorum teſtimoniorum, ſi, quod latine Hieronymus, Graece tantum efferre voluit Sophronius.

5) Immo ad demonſtrandum, quod Hieronymianus ille translator fuerit epiſcopus Hieroſolymitanus ac ſeculi VII ſcriptor, idonea cauſſa ſuppetit nulla. Vid. Io. Alb. Fabricii bibliotheca eccleſ. p. 13.

XVIII.

## XVIII. Venerabilis BEDA sub a. Christi 700.

Cum Angli huius MARTYROLOGIVM, in quo *11 Kal. April.* Hispanica Pauli peregrinatio refertur, quamplurimarum interpolationum accuset ipse Anglus Caue histor. liter. script. eccles. p. 403, a. nec ad manus sit, quod inscribitur: *Bedae martyrologium genuinum, nouissime recusum ex noua recensione Ioannis Smith, subiunctum eiusdem Bedae historiae ecclesiasticae Anglorum, Cantabrigiae 1722, fol.* tamen haud videtur esse dubitandum de mente Bedae, vtpote quam in Expositione v. vltimi Actorum satis clare expressit his verbis: *non solum Romae praedicare probibitus non est* (Paulus,) *sed, necdum Neronis imperio roborato nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiae, dimissus est, vt euangelium Christi in occidentis quoque partibus praedicaret, sicut ipse Romanis ait: nunc igitur proficiscar in Hierusalem ministrare sanctis, & paulo post: hoc ergo cum consummauero, proficiscar per vos in Hispaniam. Postea enim, i. e. vltimo Neronis anno, retentus ab eo, martyrio coronatus est. Quod vtrumque in secunda ad Timotheum epistola exponit. &c.* quanquam nec dubitandum sit,

1) quod Beda, intempestiue innixus Rom. XV, fallaciam consequentis struxerit (§. I.) &

2) iudice Schurtzfleischio in introduct. in notit. scriptorum part. I, p. 176, *fabulosus sit cauteque legendus*, ac

3) Eusebium (§. III) exscribendo, plagium commiserit.

## XIX. ADO a. 874.

Ado, archiepiscopus Gallus Viennensis, in chronico vniuersali ad a. Christi 59 recitat sequentia: *a quo* (Festo) *Paulus Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, posthaec ad praedicandum dimittitur, necdum Nerone in tantam persecutionem christianorum erumpente, quantam de eo narrant*

*rant historiae. Quo tempore creditur Paulus ad Hispanias peruenisse, & Arelatae Trophimum, Viennae Crescentem, discipulos suos, ad praedicandum reliquisse.*

*Resp.* 1) Hic Gallus vel Bedam (§. XVIII) vel Eusebium (§. III) exscripsit, plagium committens his verbis: *posthaec ad praedicandum dimittitur, nec dum Nerone in tantam persecutionem Christianorum erumpente, quantam de eo narrant historiae.*

2) Nec caussae meae officit Ado, quandoquidem non scripsit: credo ego Ado, quod Paulus ad Hispanias peruenerit; sed: CREDITVR Paulus ad Hispanias peruenisse, vbi certum ac verum Ado tenet, prudentiae laude exornandus, quod hanc receptissimam vulgi fabulam recitauit, non approbauit. Nimirum hic sentio, quod celeb. D. Heumannus Act. philos. T. I p. 417 sensit his verbis: **Wenn bey einem** *Historico* **das Formelgen vorkömmt:** *fertur, traditur*, **u. d. g.** (quo refero illud *creditur*) **so darff man sicherlich in seinem Hertzen dencken, wie iener sagte: wir wollen hoffen, es soll nicht wahr seyn.**

3) Videmus igitur ex parte, quid veri solidique insit in venerab. Moshemii verbis, quae, cum instituto arctissime coniuncta, liceat ex ipsius Institutionibus hist. christ. antiquioris p. 55 mutuari:

*Quae de profectionibus apostolorum ad Gallos, Anglos, Hispanos, Germanos, Americanos, Sinas, Indos, Ruthenos, passim commemorantur, recentiora sunt, & leuiora, quam ut ab homine veri cupido temere recipi queant. Nata est magna pars harum fabularum post Caroli M. aetatem, qua plurimi christianorum coetus de antiquitate originum suarum nihilo segnius, quam olim Arcades, Aegyptii, Graeci, & alii populi, inter se dimicabant.*

## XX. STEPHANVS VI a. 887. (vel potius circa a. 1089.)

Nunc Stephani VI, Pontif. Romani, epiſtolam longiuſculam, aduerſus Seluam & Hermemirum, falſos epiſcopos, eccleſiarum Vrgellenſis & Gerundenſis ſcriptam, quam Petrus de Marca in Appendice Marcae Hiſpanicae p. 813. ſqq. & Labbeus Concil. Tom. IX, p. 374. ſqq. exhibent, patienter perluſtremus. *Stephanus, ſeruus ſeruorum dei, Seluae & Hermemiro atque Frodoino Barchinonenſi. Noueris, inquam, noueris, Selua frater, (ſi fas eſt, fraterno te vocari debere vocabulo) quod ex praecepto glorioſiſſimi & catholici Imperatoris Odonis* (*) *nuper venerim Trecas, Concilium inibi de multis ac diuerſis celebraturus negotiis cum reliquis coepiſcopis & conſacerdotibus, pontificalibus infulis inſignitis, quinquaginta duobus, qui eidem nobiſcum interfuerunt concilio. Nam, cum de quibusdam eccleſiaſticis cauſis a nobis ſollicite tractaretur, riteque, qualiter ſe habere deberent, diſponeretur, inter cetera, quae a nobis iuſto decernebantur atque ſtatuebantur iudicio, ventum eſt ad tuae inſolentiſſimae nimiſque praeſumtuoſae arrogantiae indecentiſſimum dedecorum dedecus, quo inflato elationis tuae ſtomacho rebellare, imo reſiſtere praeſumſiſti Dei omnipotentis perpetuae diſpoſitioni, volens ipſius ſanctorumque apoſtolorum eius inſtituta, ſpecialiter vero beati Petri apoſtoli, conuellere ac penitus euacuare. Denique vt eiusdem rei cauſam tibi exponam diligenter, ipſi olim a domino noſtro Ieſu Chriſto vniuerſalis eccleſia non ſolum generaliter, vt ceteris, ſed etiam ſpecialiter prae omnibus coapoſtolis eius commiſſa & illius ſedi fidei credita eſt, ſicut habes ſcriptum:* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo eccleſiam meam. *Et idem, cum interrogaretur ab eo poſt reſurrectionem eius, an eum amaret, tertio*



(*) Labbeus l. c. annotauit: *quid Trecenſe concilium cum Odone, & quorſum Imperator? Haec omnia valde ſuſpecta.*

*tertio contestatus est ab eodem domino*, vt pasceret oues eius. *Qua auctoritate idem fultus, & successores illius post eum, semper ecclesiastica negotia disponunt atque determinant. Tu autem adhuc perseueraris in malitia tua, plenus insania, non vt sapiens, sed desipientis more, existimas, dei aeterni constitutionem, (qui, ut scriptum est*, mutat tempora & aetates, transfert regna atque constituit,) *atque etiam priscorum decreta conuellere patrum, dum Tarraconensis ecclesiae archiepiscopatum in tuum ius ecclesiaeque tuae subripere moliris, qui diuina dispositione in Narbonensis ecclesiae transiit ditionem, non subreptione vel violentia qualibet, sed voluntate & electione atque contradictione omnium eiusdem terrae indigenarum, tam nobilium quam ignobilium, praecipue quoque episcoporum & comitum, atque etiam regum Francorum, ad quos celsitudo principatus eiusdem terrae specialiter pertinet. (Adeo enim & hac conditione ius ecclesiae Tarraconensis in ius & obsequium ditionis ecclesiae Narbonensis transiit, vt nunquam a subiectione illius vllo pacto vllaue ratione recedere queat, etiamsi Tarraconensis prouinciae metropolitana ecclesia in pristinum reformetur statum, eo quod Narbonensis ecclesia tutoris loco semper fuerit ecclesiis praedictae dioeceseos, quae vastationem paganorum vix euadere potuerunt. Porro si iam dicta metropolis adhuc in antiquum redeat statum, & cunctae eiusdem dioecesis ecclesiae, quae prius illi paruerant, reuertantur in mancipatum obsequelae illius, iuxta Catholicorum patrum determinationem, ipsa tamen metropolis secundum Romanae ecclesiae pontificum instituta atque apostolica priuilegia in hac semper Narbonensis ecclesiae ditioni ac perpetuo famulatui subcumbat; ut omnis, qui pontificatus illius arcem sortitus erit electione totius ecclesiae eiusdem cleri & populi, non prius vlla ratione ordinetur, vel consecretur, donec praedictae Narbonensis ecclesiae pontifex veniens consecret eundem, qui electus fuerit in archipraesulatus honorem. Quodsi aliqua difficultate compulsus venire nequiuerit ad consecrandum praelibatae metropoleos episcopum,*

*mittat*

*mittat vice sua aliquem ex suffraganeis suis episcopis, qui diligenter eandem rem peragat, atque in solio pontificali collocare & inthronizare solemniter satagat. Vnde & idem, qui consecratus fuerit, munus debitae obedientiae Narbonensi ecclesiae semper in omnibus cedat, tantum ut a Romano pontifice pallium cum priuilegii auctoritate suscipiat. Semper enim Tarraconensis pontifex, clerus quoque & populus omnis, si res ipsa effectum capiat, reminisci debebunt, quod illarum parochiarum ecclesiae, quae de potestate & iure Narbonensis ditionis, sub qua diutina educatione nutricis more alitae fuerant, postquam in maternum transierunt sinum, si res eadem quandoque capiat illud agendi effectum, nutricatus eiusdem gratia largi fluas gratiarum actiones debet, & insuper educationis praedictae caussa eam ac si matri mercedem impendere subiectionis atque honoris.) Quodsi redeamus ad antiquos priscarum institutionum a primatibus sanctae ecclesiae, haud dubium quin Petro & Paulo causas diuino nutu patratas, non solum Tarraconensis metropolis, verum & Hispania omnis, in quantum ad ius ecclesiasticum spectat, Narbonensi semper debeat praelationi subiici, eiusque patrociniis ac si materno lacte ali. Nam sacrae fidei documenta primum ab eadem accepit, & fidei lumine illustrata, ac si de mortis perpetuae somno excitata, in aeternae vitae euigilauit splendorem, prout hactenus in beati Petri armario diligenter seruantur reposita, quemadmodum & illa, quae a discipulo apostolorum Petri & Pauli, Sergio nihilominus Paulo, gesta fuisse memorantur: quae, vt videris, prorsus ignoras. Nam, si ea perfecte nosses, aestimo, quod non ad tam turgidae inflationis vecordiam animatus suspirare vnquam auderes. Nunc quoque, quia hucusque te latuerunt, a nobis tibi, licet breui & compendioso sermone, veridico tamen, intimanda sunt, ut non deinceps talia agere praesumas. Vt ergo, quomodo eadem res se habeat, euidenter ostendam, cum beatus apostolus & doctor gentium Paulus Roma egressus in Hispaniam praedicationis causa proficisceretur, iuxta quod idem in epistola sua prius Romanis, qui crediderant,*

rant, significauerat, assumptis secum Trophimo Ephesino, nec non & prudentissimo viro Sergio Paulo, quos idem ante lucratus fuerat Christo, Torquato quoque Secundo, & Endelecio, & quibusdam aliis, Cisalpinam Galliam postquam deuenit, Arelatem, quae est metropolis Prouinciae, quantocius adiit. Cumque in eadem ciuitate aliquandiu moraretur, praedicans & annuntians regnum Dei, & multi per eius doctrinam conuerterentur ad Christum, reliquit ibi ad confirmandas eorum, qui crediderant animas mentesque, Trophimum, a Petro apostolo prius ordinatum episcopum. Ipse vero cum ceteris Narbonam vsque pergens, inde praedictum Torquatum sexque alios illius comites & condiscipulos Gallaeciam ad praedicandum iuxta Petri apostoli praeceptum illico destinauit. Ipse vero postquam multos, non solum ex eadem vrbe, sed etiam ex nonnullis ciuitatibus ad eum confluentibus, vna cum praedicto Sergio euangelizans sedulo docuit, & egregie conuertit ad Christum. Cum autem iam fortes in fide ac penitus immobiles, quos docuerat, agnouisset, misit ex eis quosdam praedicare per diuersas Galliarum regiones dominum nostrum Iesum Christum. Posthaec autem profectus inde vna cum Sergio Paulo, ad vlteriorem ambo vsque peruenerunt Hispaniam, euangelizantes per singulas vrbes, vt praediximus, futuri gloriam regni dei. Peracto itaque praedicationis suae non modico tempore, contestabantur eos, qui crediderant, vt, quam acceperant fidem, fideliter conseruarent, & ceteris, quibus nondum praedicata fuerat, magnopere eam erogare studerent. Igitur posthaec Romam deliberauit reuerti praedictus apostolus, atque in consolationem confirmationemque credentium socium eis & coeuangelistam suum Sergium Paulum missurum denuo repromisit, quibus & praecepit, dicens, vt illi in omnibus ac per omnia obsequium praeberent, & monitis illius libentissime parerent. Cumque his ac talibus per singulas ciuitates apostolus fratres, qui crediderant, hortaretur, commendans eos domino, & valefaciens eis, Romam redire solicite satagebat. Qui rediens cum venisset iterum Narbonam,

dispo-

*dispositis omnibus, quae agi oportebat, reliquit ibi collegam suum nihilominus Paulum, praecipiens ei, vt, quos iam domino per fidei gratiam acsi parturientes genuerant in diuersis regionibus Hispaniae, lacte eos consolationis tamdiu nutrire studeret, donec cibo solido perfectae credulitatis vesci indubitanter cognosceret. Vnde & totam illam regionem in apostolatus eius officium domino cooperante ipsi commisit. Galliarum autem populos idcirco praedicandos illi credidit, quoniam ad hoc ipsum agendum beatus Petrus eum miserat, & vice sua huius rei gratia episcopum consecrauerat, atque etiam praedictam Narbonam insignem metropolim Galliarum specialiter ad docendos euangelizandosque tradiderat populos. Nam posthaec, consummatis omnibus, quae communi vtriusque egregii praedicatoris intentione agenda erant, a se mutuo dilectionis affectu cum recessissent, alternis exhortationibus atque amplexibus domino commendare se studuere. Atque sic sibi valefacientes, post oscula & fletus ab inuicem diuisi, apostolus Romam profectus est, Sergius vero Narbonae resedit. Vterque enim officium sibi praedicationis iniunctum adeo strenue exercuit, vt nullis terroribus vel poenis illud relinqueret, quoad vsque per martyrium quisque eorum ad se vocantem Christum intrepidus accederet, vt talentum sibi creditum quinquies duplicatum offerret, & ab eo centies multiplicatam perpetuae mercedis recompensationem perciperet. Si autem nosse vis, quid post discessum apostoli Sergius Paulus commendato sibi gregi, quem cum apostolo Christo acquisierat domino, fecerit, notum sit tibi & vniuersis Hispaniarum vtriusque sexus indigenis, quoniam tam per se ipsum, quam etiam per suos, quos in fide Christi iam nutrierat docueratque, discipulos, omnes Hispaniarum regiones peragrando eorumque habitatores indesinenter docendo, adeo quosdam eorum in Christianae fidei culmen & cultum subuexit, quatenus nullius praeterquam sui indigerent vel ipsi, vel quidam successorum eorum sanae doctrinae. Lege igitur BEATI LEANDRI, ISIDORI QVOQVE, NEC NON BRAVLIONIS,*

*ITEMQVE IVLIANI, AC VETERVM EIVSDEM PROVINCIAE DOCTORVM CATHOLICORVM LIBROS, & sic forsitan me vera dicere comprobabis. Quodsi nec ita satis tibi factum esse credideris, GESTORVM ILLIVS VOLVMINA, AB EIVSDEM PAVLI DISCIPVLIS, TRIBVS VOLVMINIBVS COMPREHENSA, diligentissima curiositate recense; & tunc, quae prius, nisi fallor, penitus ignorabas, patulo postmodum recognosces eiusdem rei effectu. Quodsi nec ita consultum tibi praebere volueris, sed semper obstinatione peruersa Romanorum pontificum censuram, quorum decreto diuina autoritate firmato omnis Christi ecclesia, toto persistens orbe, regitur semper atque disponitur, plenus insania contemptibilem duxeris in tantum, vt ab iniuria, quam impudenti facie & immoderata rapacitate praedicto archipraesuli Theodarda irrogas, recedere nullatenus patiaris, notum sit tibi & vniuersis, qui aliquod suffragium adiutoriumue praebent tibi super his, quibus a nobis iuste impeteris, quod anathematis vinculis iugiter colligati eritis atque insolubiliter innodati. Quocirca, ne iniuriam tibi facere videamur, constituimus ego &, qui mecum sunt, quinquaginta & duo episcopi, terminum tibi satisfaciendi ei, cui iniuriam iugiter facis, Narbonensis ecclesiae pontifici, vsque in festiuitatem sancti Michaelis Archangeli. Quodsi vsque ad praedictam proximamque memorati Archangeli solemnitatem non ei satisfeceris, ita vt in eius ius proprium ecclesiaeque ipsius totum, quod abstulisti ab eiusdem pontificis iure ac ditione, integerrime & sine qualibet reseruatione vel redhibitione restituas, dei omnipotentis auctoritate sanctorumque apostolorum Petri & Pauli nec ne cunctorum Romae ecclesiae pontificum, nostra quoque, & omnium, qui huic Trecassinae Synodo intersunt, episcoporum, excommunicando excommunicamus, & maledicendo maledicimus, ac perpetuo anathematis vinculo insolubiliter colligamus & te & maledictum tuum Hermemi-*

*memirum & Frodoinum periurum & apostatam Antiscopum & omnes, qui aliquod tibi adiutorium circa tam iniustam praesumtionem praebent, uti a statuto vel praefinito a nobis tempore ab omni coetu Christiano semper extorres habeamini atque exortes.*

*Resp.* 1) Has literas ab archiepiscopo Narbonensi circa a. 1089 esse fictas Stephanoque Pontifici R. suppositas, censet ac demonstrat V. C. Stephanus Baluzius libro IV Marcae Hispanicae Petri de Marca p. 365 - 370, itemque in praefat. illius operis §. XXXII, vbi Baluzio subscribo dicenti: *cum epistola illa falsa sit, nihil hinc certi verique colligi potest.* Sed & 2) fidem quis quaeso praestabit Leandro, Isidoro, Braulioni, Iuliano, ceteris eiusdem prouinciae doctoribus nouellis, ac tenebricosis discipulis Pauli?

## XXI. BASILII IVNIORIS, IMPERATORIS, MENOLOGIVM, circa a. 976.

Hoc Menologium in Ferdinandi Vghelli Italia sacra T. VI, p. 1082, edit. Romae 1659, per interpretem Petrum Archudium, Corcyrensem, ita loquitur: *Eodem die* (sc. decimo Cal. Octobr.) *commemoratio sanctarum mulierum Xantippae & Polixenae. Xantippa, Claudio Imperatore, Probi Hispaniae praefecti uxor, cum in eam terram Paulus Apostolus venisset, Christumque praedicaret, adiit Apostolum, atque ab eo Christi fide imbuta baptizataque persuasit & viro suo Christi cultum. Polixena autem, eius soror, edocta quidem tunc ab eodem apostolo fuit, sed post eius discessum, cum audisset, Andream magnum apostolum partis Achaiae verbum veritatis praedicare, profecta ad eum est, a quo, posteaquam perfectius, quae ad Christi fidem pertinent, didicisset baptizataque esset, rediit in suam regionem, vbi cum magnam hominum multitudinem etiam ipsa & Xantippa omni virtutum genere fulgens ad Christi fidem traxissent, obdormiere in Domino.*

*Resp.* 1) Menologii huius, a Leone Allatio in dissert. 1 de libris ecclesiasticis Graecorum in Fabricii bibl. Gr. libro V, p. 84, sqq. recusa, atque a Caueo in historia liter. script. ecclesi. p. 505 fusius descripti, formam externam longe splendidissimam facile equidem admiror suspicioque; internam autem foedam miserabilemque admiror horreoque. Nam in opere illo vel authentico, vel latine translato, infelix lolium fabularum dominatur ac vitiorum, ab auctore vel interprete latino, vel typographo commissorum. Id quod aliquot exemplis declarandum est.

Quid igitur sibi volunt *Polixena & Xantippa?* cum Baronius in Annalibus & Martyrologio habeat Polyxena & Xantippa. Rectius scribitur Xanthippa. Act. phil. T. I, p. 106, not. d. Deinde cur scribitur: EODEM DIE (decimo Cal. Octobr.) *commemoratio sanctarum mulierum Xantippae & Polixenae?* cum Baronius in Martyrologio, commemorationem harum sanctarum mulierum ad 23. Septembr. (*nonum* Kal. Octobr.) apponat, subiectis his verbis: *Agunt de his etiam Graeci hac die in Menologio: vbi earum Acta describuntur.* Cum igitur *hoc Menologium Baronio visum haud abnuat* Vghellus l. c. p. 1050; sequitur, vt Baronius, aut Archudius, aut typographus fallat.

p. 1084, n. 64 *Triphaena* ponitur pro Tryphaena, secundum Baronium in Martyrol. ad XV Nouembr. & Rom. XVI, 12.

ibid. n. 1084 *Diomitianus* bis ponitur pro Domitianus.

p. 1119, n. 151 *Stachis apostolus* scribitur, pro Stachys, secundum Rom. XVI, 9.

ibid. & p. 1177, n. 288 *Bizantii* scribitur, pro Byzantii.

p. 1119, *Amplias episcopus Vlyssipoleos, quae est in Macedonia,* dicitur pro Amplias episcopus Odyssae, secundum Baronii Martyrol. ad 31 Octobr. not. c. vel potius: episcopus Odyssi, vrbis in Moesia ad Pontum sitae, secundum Cellarii orbem antiq. T. I, p. 590.

p. 1130.

p. 1130, *Rhodion* extat pro Herodion, Rom. XVI, 11.

ibid. *Erastus - Hierosolymitanae ecclesiae oeconomus* dicitur pro Corinthiacae ecclesiae oeconomus Rom. XVI, 23 vbi ciuis Erastus erat 2 Timoth. IV, 20.

ibid. *Quartus episcopus Beriti* dicitur pro Beryti.

p. 1136, (Iacobus senior dicitur) *Caesareae Palestinae retentus ab Herode tetrarcha atque iugulatus &c.* Quem errorem, a nobis supra § XV in scholio notatum, notauit quoque Tillemontius in Histor. eccles. T. I, p. 1070.

p. 1089, n. 78 *Romanus Syrus ecclesiae Beriti Diaconus* dicitur pro Beryti.

p. 1090, n. 82 *Dionysius - - ex Areopagitarum collegio, praefecto* (pro profecto) *Athenas apostolo Paulo - in Christum credidit.*

p. 1101, n. 107 *Philippus Christi apostolus ex septem Diaconorum numero - obuiam factus Candaci, eunucho Reginae Aethiopum praefecto, quadrigae insidenti, prophetamque Isaiam legenti, accedens propius quaesiuit: num quae legeret, intelligeret, cui Candax, qui possum, inquit, assequi sine interprete? elatusque in currum apostolus - Candacem instruit.* Vbi insignitus error est in nomine Candax, cum ipsa potius Regina nominanda erat non Candax sed Candace. Conf. Wolfii Cur. ad Act. VIII, 27.

p. 1103, n. 112 *Carpus episcopus Thiatirarum* pro Thyatirorum secundum Cellarii orb. antiq. T. 2 p. 129.

ibid. *Vincti ab Asaiae* (pro Asiae) *praefecto.*

p. 1106, n. 119 *Osias propheta dei - tempus, quo Dominus e coelo in terram aduentens versaturus esset inter homines praedixit, occidet, inquiens, sol in Seloin, dissectaque in duodecim partes arbore in Siloe nascentur duodecim arbores.* Hic non alienum erit audire, quae Vir vener. Io. Gottlob Carpzouius in Introduct. in libros canonicos V. T. part. III, p. 276 docuit his verbis: *miraculis quoque inclutum Haseam contendit Pseudo-Epiphanius libro de vitis prophetar. c. XI, & ex illo Isidorus Hispal., ex quo*

*forte idem hausit Glossa ordinaria.* ἔτος ἔδωκεν τέρας, ἥξειν τὸν κύριον ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ τοῦτο τὸ σημεῖον τῆς παρουσίας αὐτοῦ, ὅταν ἡ δρῦς, ἡ ἐν Σηλῶν, μερισθῇ ἀφ' ἑαυτῆς εἰς δώδεκα μέρη, καὶ γενήσονται δρύες δώδεκα. οὕτως καὶ ἐγένετο. *Hic vt venturum coelitus in terram Dominum affirmaret, eiusmodi fore portentum edixit: tum scilicet, cum illa quercus, quae erat in Silo, sponte sua duodecim in partes diuideretur, indeque totidem quercus existerent. Quod ita, vt praedictum est, contigit. Quae tamen traditio, autoritate diuina destituta & ex apocrypho quodam istius aetatis documento ab autore vitarum prophet. hausta, rectius exploditur, quam admittitur.* Sed, si quid coniectando assequi possum, ex ipso sacro Codice mihi quidem historia illa hausta videtur, quoniam aliae praedictiones, quae viris biblicis in menologio nostro attribuuntur, ex ipsis sacris literis depromuntur, e. g. n. 124. Deinde quoniam ipsum huius historiae fundamentum, 1 Reg. XI, 29-38 deprehendo, vbi propheta Ahias Silonita pallium suum in duodecim partes disrumpit, his vsus verbis: ita duodecim quoque tribus disrumpentur: itaque ergo quae in Menologio reliquae sunt περιστάσεις, ex illis quaedam, tanquam putrida membra, a corpore historiae resecandae sunt, aliae autem interpretatione sanandae. Sic Osias est Ahias, apud LXX Ἀχίας, qui Silonita dicitur ortus Schilunte, de qua conf. Relandi Palaestina p. 498 & p. 1016 sq. Per duodecim Menologii arbores vel quercus, intelligendae sunt duodecim (שְׁבָטִים) tribus, quae antea consentientes in vnum, postea in discordiam abiere.

p. 1107, n. 121 *Lucas euangelista cum Thebas Macedoniae Traiano imperatore venisset, congressus collocatusque cum S. apostolo se in Christi & euangelii praedicatione socium adiunxit.* In quibus verbis tripliciter peccatur, primum, quod Thebae in Macedonia commemorantur, quae ibi nullae dantur, nisi forte vox Macedonia in laxiori minusque vsitato sensu sit sumenda.

Deinde

Deinde peccatur, quod Thebis Macedoniae Lucas cum apostolo Paulo primum congressus esse dicitur, quod Troade factum esse intelligimus ex Act XVI, 8, 10, 11. Denique dum peccatur, id Traiano Imperatore accidisse traditur, quem illo tempore nec dum natum fuisse constat.

p. 1148, n. 215 *Andreas, germanus magni Petri apostoli frater - maritimam Bithyniae oram, Pontificatum, Thraciam - peragrando, Christi fidem vbique praedicabat.* Hic scire vellem, vbi Pontificatus regio fuerit? de Ponto satis liquet, ex quo Pontificatus fortasse fabricatus est admodum fabriliter.

p. 1154, n. 231 *eodem die* (sc. quinto Idus Decembr.) *commemorat. SS. Sosthenis, Apollo, Cephae, Tychici, Epaphroditi, Caesaris, & Onesiphori ex septuaginta apostolorum numero.* Deinde de Sosthene, Apollone, Tychico, ac sequentibus quidem exponitur, Cephas autem quare omittitur? num interpretis, aut typographi, aut Menologii authentici vitio? Porro Cephas, cuius repetita in Paulinis epistolis mentio fit, Syriace idem est, qui graece Petrus cognominatur, ac proinde ille ex numero septuaginta discipulorum expungendus est. Conf. Viri vener. D. Salom. Deylingii obseruat. T. II, n. 45. & Wolfii Cur. philol. ad 1 Cor. I, 12, & IX, 5. Ad eundem modum Caesar apostolus chimaericus atque ex Philipp. IV, 22 fictus est. Conf. D. Io. Michael Heineccii differt. de ministris Caesarum gentilium Christianis, & Wolfii Cur. philolog. ad Philipp. IV, 22.

p. 1162, n. 250 *Ananias, Azarias, & Michael Hierosolymitani, Ezechia rege nati (qui ausus est dicere Deo, se custodisse, quae placita erant in conspectu eius, cuique, cum in Bethlehem in morbum incidisset, poenitenti Deus vitam in annos quidecis prorogauit) expugnatis a Nabuchodonosor, Assyriorum rege Hierosolymis, abducti sunt Babylonem captiui, sed postea a successore pietatis caussa capitis damnati sunt.* Vbi primum temporum rationibus minus videtur esse consentaneum, illos tres pueros Ezechia rege


esse

esse natos, atque a Nebucadnezaris successore capitis damnatos, quandoquidem centum ac quinquaginta annorum spatium, quod inter Hiskiam ac Nebucadnezaris successorem fere interiectum est, vitae terminum tunc temporis ordinarium superabat. Atqui miracula atque extraordinaria fata, nulla cogente ratione, haud praesumenda sunt. Sed & mirum videtur, homines illos, 150 fere annos natos, non naturae reddere debitum, sed ad mortem extraordinariam ipsos cogi, rapi, capiteque plecti. Accedit, quod pueri illi sub Ezechia nati haud videantur, cum anno tertio imperii Ioiakimi pueri adhuc nominentur, Daniel. I, 1, 4, 6. Iam vero imperium Hiskiae ab anno tertio Imperii Ioiakimi seculum fere disiungit. En igitur pueros centenarios, id est inepte fictos. Denique Ezechias, cuius regia erat Hierosolymis 2 Chron. XXIX, 1. XXXII, 23, *in Bethlehem* in morbum incidisse traditur ratione verosimili nulla.

p. 1163, n. 251. *Daniel* (propheta) - - *ab Attico rege cum tribus pueris capite damnatus occubuit.* Atqui in historia regum Medorum Persarumque nemo rex occurrit, cui Attico nomen fuerit. Conf. D. Carpzouii introduct. in libros Canon. V. T. part. 3, p. 241. sq.

p. 1178, n. 290 *Malachias propheta post reducem e captiuitate Iudaeorum populum Leuitico genere natus, ab ineunte aetate eam vitae rationem & institutum tenebat, vt ob eam causam appellaretur Angelus: accedebat insignis in adolescente forma: praeterea visus saepe est ab iis, qui nullam peccati labem habebant, dictante angelo prophetare. Incidit autem Malachiae prophetia in id tempus, quo nullus erat in Iudaea principatus, quemadmodum scriptum est in Iudicum libro, mortuusque est --- homo, vt diximus, egregia forma, facie venusta, capite lato.* Vbi admirandae sunt rationes Angelicae cognominati nostri prophetae tum a forma corporis, tum a sanctitate morum, tum ab angelo dictante prophetare. Praecipue tamen illud Menologi nostri somnium miror,

ror,

ror, quod ille, in Iudicum libro cap. II, & VI, & XIII videns Angelum Domini identidem apparentem, de nostro Malachia (i. e. angelo Dei) somniauit. Talibus commentis, in aliis etiam scriptoribus obuiis, contra iam iuit D. Carpzouius introduct. in libros canon. V. T. part. III, p. 454. sqq.

p. 1180, n. 295. *Michaeas, propheta Iudaeus ex familia Ephraim cum uehementius impietatem Achab regis obiurgaret -- alienauit a se regem -- sed mortuo Achab cum apud Ioram filium -- offendisset, eius iussu de praerupta rupe praecipitatus occubuit.* Vbi falsum est, Micham prophetam fuisse ex tribu Ephraim. Falsum est, Ioram fuisse filium regis Achabi. Falsum est, Micham, cuius monumenta prophetica hodienum inter XII prophetas extant, vixisse tempore Iorami. Falsum est, prophetam nostrum de praerupta rupe praecipitatum occubuisse. Conf. D. Carpzou. l. c. p. 373. sq.

p. 1189, n. 318. *Herodes -- comprehensum -- Petrum, duabusque constrictum catenis, in carcerem coniecit. -- Catenae vero (illae) -- postremo Constantinopolim ab imperatoribus -- illatae &c.* Fabulam hic in catenis his Constantinopolitanis iam agnouerunt Paschas. Quesnellus notis ad Leonem M. p. 284. & Tillemontius memor. eccles. T. I, p. 777. Wolfii cur. ad Act. XII, 6.

p. 1218, n. 385. *Aquilas gentilis sutoriam faciebat artem -- cumque fama Pauli, Christum passim praedicantis, indies percrebesceret: perrexit vna cum Priscilla vxore ad Paulum tanquam ad eiusdem artis professorem seque illi comites & seruas, quocunque pergeret, adiunxerunt.* In qua historia multa insunt falsa. Falsum est, quod Aquila gentilis fuerit Act. XVIII, 2. Falsum est, quod Aquila cum Priscilla ad Paulum perrexerit, cum ad illos potius Paulus venerit, Act. VIII, 2, 3. Falsum est, quod Aquila cum Priscilla se Paulo, quocunque pergeret, adiunxerint. Vid. Tillemontius in memor. eccles. Tom. I, p. 593. sq. Falso, saltim inepte Aquila dicitur fecisse artem sutoriam, cum potius artem conficiendorum tabernaculorum professus fuerit, Act. XVIII, 3.

p. 1219, n. 388. *Onesimus, Philemonis ciuis Romani seruus post mortem Pauli detentus a Tertillo vrbis praefecto ductusque Puteolos grauissime caeditur.* Verum enim vero Onesimus ille, qui Puteolis morte affectus est violenta, tertio demum aut quarto seculo uixit, ac proinde cum Onesimo, Philemonis seruo, confundendus non erat. Comparetur Tillemontius in memor. eccles. T. I, p. 863. Pauca haec sufficiant ad ostendendam Menologii uitiositatem, quam an Archudius interpres, ac typographus fortasse auxerint, ignoro. Nam ad oculos manusque meas nondum peruenit *Menologium integrum, quod Romae a. 1729 graece & latine cum versione Io. Francisci Albani patrui sui postea Clementis XI papae, in lucem dare instituit Cardinalis Alexander Albani*, tribus voluminibus in fol. Sed, vt ad locum nostrum controuersum redeamus,

II, Fortasse ibi pro Hispania (Σπανία) in recentissima Menologii editione legitur, Paeonia (Παιονία), regio, in Macedonia sita, de qua conf. Cellarius in orbe antiq. Tom. I, p. 1032 seqq. Paeoniam hanc, (si modo Menologio medicina paranda est) lubentius hic intellectam velim, quinque rationibus commotus. VNA est, quod Paulus apostolus Claudio Imperatore per Macedoniam vsque ad Illyricum profectus fuit Act. XVI, 10 XX, 6. Rom. XV, 19. Atqui iter Pauli Claudio Imperatore factum, a Menologo postulatur. ALTERA ratio est, quod ita scrupulus ille sit nullus, quem contra huius historiae veritatem ex sanctorum, ibi commemoratorum, *nominibus graecis* iniicere voluit Tillemontius his verbis: *les noms mêmes de ces Saintes sont tout grecs.* qui scrupulus recte mouetur contra Hispanos, neutiquam contra Paeonios, qui graeca linqua loquentes, graecis etiam nominibus sine miraculo vtebantur, nominabantur. TERTIA ratio est, quod Spania (Σπανία) cum Paeonia (Παιονία) facili errore commutetur. QVARTA ratio est, quod talis commutatio iam alibi quoque acciderit, si quidem pro Hispania, iudice

iudice Carolo Sigonio, legendum sit Paeonia in Liuiani libri XLIII epitome: *motus, qui in HISPANIA* (i. e. Paeonia) *ab Olonico factus erat.*

QVINTA ratio est, quod verosimilior ex Paeonia quam ex Hispania reddatur Polyxenae discessus in Achaiam. Tanti saltus, quanti ex Hispania in Achaiam fiunt, haud facile, inprimis de feminis, infirmis illis etiam ad longinqua itinera conficienda instrumentis, praesumenda sunt. Et quid Achaiam procul remotam peteret Polyxena, cum Romam viciniorem conferre se posset, ad perfectiorem Christianae fidei doctrinam percipiendam.

III. Verum fac, Menologum de Hispania Hispanicoque Pauli itinere loqui, sic multa video argumenta, quae istum testem repudiandum volunt, quippe quem deprehendimus mendacissimum n. I, quin imo in ipsa hac Hispanica historia αυτοκατακριτον ac seipsum euertentem. Ecquis enim credat Paulum Claudio Imperante Hispaniensem, qui tum ab Hispaniarum prouinciis remotissimus, in Asia Graeciaque versabatur, vti ex S. Lucae Actis apostolorum a c. XI-XIX cum Pearsonii Annalibus collatis liquet. En Menologum Chronologiae tortorem. Quid, quaeso, Polyxena & Xanthippa, feminae graecae, quod ex nominibus colligas, quid, inquam, monstri illae in Hispania alunt? qua de causa illae tam horrendis saltibus, ex Hispania in Achaiam feruntur? Scilicet, ne lector Menologii obdormisceret, miraculis ex somno excitandus erat.

IV. Neque praetereundum est, iam ab aliis in Menologiis Graecorum maiorem fidem desideratam fuisse. Disputauit hoc Petrus Alixius diss. de Trisagii origine p. 51 sq. Eandem sententiam pronuntiauit die allerneueste Acerra philologica part. I, p. 214 sqq. his verbis: die Verzeichnisse der Märtyrer oder die Martyrer-Bücher (*Martyrologia,*) die leben der Heiligen und dergleichen, sind voller Schnitzer, wie solches die gelehrte

Catho-

Catholicken Baronius *not. ad Martyrol.* Canus *LL, theol. l. II. c. 6.* Schelstraten *de actis sanct.* und andere selbst gestehen. Die Verfasser haben ihre Erzehlung oft nach eigener Phantasie eingerichtet, und die Sache beschrieben, nicht wie sie würcklich geschehen, sondern wie sie etwa hat geschehen können, welches Urtheil der Bellarmin *de script. eccles.* insonderheit von dem Simeon Metaphrastes fället ꝛc. ꝛc.

## XXII. GREGORIVS VII. PAPA, a. 1074.

Ad Hispanicum Pauli iter confirmandum aduocatur quoque Gregorius VII, siue Hildebrandus, qui libr. I registr. epistol. 64 ad Alphonsum VI & Sanctium, Hispaniarum reges, his vtitur vrbis: *Cum beatus apostolus Paulus Hispaniam se adiisse significet, ac, postea septem episcopos ab Roma, ad instruendos Hispaniae populos a Petro & Paulo apostolis directos fuisse, qui destructa idololatria Christianitatem fundauerunt, religionem plantauerunt, ordinem & officium in diuinis cultibus agendum ostenderunt, & sanguine suo ecclesias dedicauere, vestra diligentia non ignoret: quantam concordiam cum Romana vrbe Hispania in religione & ordine diuini officii habuerit, satis patet. --- Vnde enim non dubitatis vos suscepisse religionis exordium, restat etiam, vt inde recipiatis in ecclesiastico ordine diuinum officium &c.* Vid. T. X conciliorum Labbei, p. 53.

*Resp.* Testimonio huic fidem aufert

1) temporis ratio, cum inter Hildebrandum testem, iTerque Paulinum praetensum, decem secula intercedant;
2) Consecutio fallax in verbis: *Beatus apostolus Paulus, Hispaniam se adiisse, significat*, scil. Rom. XV. (§. I)
3) Instabile itineris Paulini fundamentum, in fabula positum. Fabula est, quod *de septem episcopis ab vrbe Roma ad instruendos Hispaniae populos a Petro & Paulo apostolis directis* --- narrat Hildebrandus, qui

septem

ſeptem illos epiſcopos hic, credo, deſignat, de quorum aduentu in Galliam peculiari diſſertatione exquiſiuit Io. Launoius. Sed & ipſe Hiſpanus, Io. Mariana, in opere de rebus Hiſpaniae libr. IV c. 2 rumorem iſtum epiſcopalem adeſpotum eſſe fatetur, his verbis: *Paucos ſe diſcipulos D. Iacobo* (Apoſtolo) *adiunxiſſe, quo tempore fuit in Hiſpania, fama eſt. Qui plurimos, nouem numerant, Petrum Eborae in Luſitania epiſcopum, pro quo nonnulli Theſiphontem ſubſtituunt Praeſulem Bergitanum, quae vrbs non procul Almeria ſita erat: Caecilium Eliberritanum: Eufraſium Illiturgitanum: Secundum Abulenſem: Indaletium Vrcitanum, Verga oppidum eſſe creditur in Vaſconum confinibus: Torquatum Accidanum, id eſt, Guidixenſem: Heſichium Cartheſanum non procul Aſturica: Athanaſium demum, & Theodorum, ſacri ſepulcri (ſic fama fert) cuſtodes, quorum ibi ſepulcra dextra, leuaque monſtrantur. Sunt, qui hos omnes Roma a Petro & Paulo Apoſtolis amandatos in Hiſpaniam putant gratia euangelii promulgandi. Prorſus, qui hiſtoriam ante quingentos ferme annos ſcripſit Pelagius Ouetenſis epiſcopus, Iacobi diſcipulos facit Calocerum, Baſilium, Pium, Griſogonum, Theodorum, Athanaſium, & Maximum. Nos, quoniam rerum antiquitas certam ſcriptioni derogat fidem, liberum lectori iudicium de tota hac re relinquamus.*

4) ſpes lucri. Quippe cum Hiſpanicum Pauli iter confectum velit Hildebrandus, ad Monarchiam ſuam in Hiſpaniis erigendam ac ſtabiliendam.

5) argumentationis frigus, quo laborant verba haec Gregoriana: *Paulus Hiſpaniam adiit, ac poſtea ſeptem epiſcopi ab vrbe Roma, ad inſtruendos Hiſpaniae populos a Petro & Paulo apoſtolis directi ſunt, qui deſtructa idololatria Chriſtianitatem fundauerunt, religionem plantauerunt,*

*uerunt, ordinem & officium in diuinis cultibus agendum ostenderunt & sanguine suo ecclesias dedicauere.* Quodsi igitur *concordiam cum Romana vrbe Hispania in religione & ordine diuini officii* olim *habuit*, & si multum erga Hispaniam Apostoli illi commeriti sunt, sequitur, vt Apostoli illi Hispanos ad Gregorii VII leges his nominibus voluerint alligatos, *sequitur, vt Hispani ab Romana vrbe recipere debeant in ecclesiastico ordine diuinum officium.* Resp. Gregorii erat ostendere, conclusionem hanc ex necessaria consecutione confici. Quod cum omiserit facere, argumentatio friget. Sed de Apostolis illis singulatim ac seorsum disquiramus. *Paulus* igitur *Hispaniam adiit, septemque episcopos istbuc misit*, at quibus documentis id demonstrauit Gregorius? immo nulla dedit, nec vera & certa de historia falsa, ficta & commentitia dare potuit. Sed concedamus tamen, verum esse, quod Paulus ipse septemque episcopi, ab eodem ablegati, Hispaniam adierint, ergo Gregorio VII parere atque ab Romana vrbe ordinem & officium in diuinis cultibus recipere debuerunt Hispani? Immo falsa, saltim dubia sunt quamplurima, quae tanquam vera ac certa hic Gregorius sumit. De doctrina Pauli non disputabo, quam scimus in ipsius ac reliquorum virorum diuinitus afflatorum monumentis plene ac plane expressam, ita, vt quilibet, etiam laicus, ac proinde etiam Hispani, quantum ad salutem obtinendam requiratur, satis inde haurire potuerint ac possint. Sed a) FALSVM, SALTIM DVBIVM HOC EST, an Paulus Christianorum suorum libertatem in cultu diuino externe ordinando, omnem restrictam ad se suaeque potestati ita subie-

ſubiectam eſſe voluerit, vt eos pro peccatoribus habuerit, aut ſaltim reprehenderit, qui per ſe ipſi quicquam, ad ſacrae λειτȣργίας περιςάσεως pertinens, prudenter ac ſapienter definiuerunt atque inſtituerunt. Imo, cum Paulo maximas moleſtias adferrent curae maximae, pro pluribus eccleſiis ſuſcipiendae, 2 Cor. XI, 28, gratum ipſi acceptumque videri potuit, ſi quando Chriſtiani ipſi, ſapientes, Paulo parcere ac ſibimetipſi conſulere voluerunt. Siquidem Paulo nihil inde decedebat numorum, vtpote quos ſpernebat, non ſpectabat vt Papa. Quemadmodum medico, qui legibus teneretur gratis curare omnes, volupe eſſet audire ac videre homines aegros ſibimetipſos recte conſulentes ac medentes, aut quemadmodum Moſi iucundiſſimum accidit, multos habere atque audire prophetantes. Num. XI, 21. Itaque ergo, ſi Gregorius Pauli imitator ac ſucceſſor eſſe voluit, demonſtrare in Paulo contrarium debuit, ſcilicet, quod Paulus non ita egerit, nec vnquam permiſerit, viros Chriſtianos quamuis pios & prudentes venire in horum negotiorum ſocietatem. DEINDE videmus Pauli praecepta de ordine in eccleſiis obſeruando ſed ea generalia, vt omnia εὐχημόνως καὶ κατὰ τάξιν ibi peragerentur 1 Cor. XIV, 40. Tenemus Pauli praecepta de agendis eccleſiaſticis ſpecialia, e. g. de ſacro feminarum ſilentio 1 Cor. XIV, 34, 1 Timoth. II, 11, 12. &c. Verum enim vero *ſpecialia illa praecepta ſunt admodum pauca, eaque nec omnia catholica, i. e. omnibus omnium locorum temporumque Chriſtianis praeſcripta atque imperata.* Nam ordinem, e. g. donorum miraculoſorum in congregationibus ſacris gubernandorum 1 Cor. XIV, quem Corinthiis quidem

Paulus praeſcripſit, quomodo aliis eccleſiis, illorum donorum expertibus, idem praeſcribere potuit? Nonne ceſſantibus illis donis, ceſſat ille ordo? Si quis autem temporarium ac ſubitum agendorum eccleſiaſticorum ordinem pluribus exemplis velit eſſe illuſtratum, ille, velim, cogitet conſtitutiones Apoſtolicas de ſanguine & ſuffocato, Act. XV, 20, 21, 29, de diaconis menſae, Act. VI, de circumciſione maſculorum ſacrificiisque ad modum Moſaicum faciendis, Act. XXI, 20 - 27. PORRO praetereundum ſilentio non eſt, quod multa Paulus nolens, inuitus, precibusque ac rerum neceſſitatibus coactus ordinarit, ſi quidem Chriſtiani, conſilii inopes, aut praeſentes coram aut per literas abſentes, ipſum quotidie conturbarunt, 2 Cor. XI, 28. 1 Cor. VII, 1. itemque, ſi Apoſtolus de anomaliis, inordinatis incompoſitisque Chriſtianorum actionibus fama atque auditione percepit, 1 Cor. V, 1. 2 Theſſal. III, 11 - 15. 1 Cor. I, 10. DENIQVE notamus, quod Paulus animaduertere videatur in eccleſias eas, quae quaſi ſtupidae ac ſecurae, non ſibimetipſae, quae ſalutaria erant, ordinarunt. Exemplo eſſe poſſunt Chriſtiani Corinthii, qui in foro gentilium lites aduerſus ſe inuicem agitantes, ab Apoſtolo admonentur, ac reprehenduntur de cauſſis per ſeipſos non expeditis, 1 Cor. VI. Illos ipſos Corinthios Apoſtolus etiam increpauit de Chriſtiano inceſtuoſo ex ſocietate illorum non eiecto, in quem ipſe, tamen non ſine conſenſione Corinthiorum, animaduertere proponebat, 1 Cor. V. Summa cogitationum mearum haec eſt: Si Gregorius VII Pauli ſucceſſor atque imitator eſſe, ſiue a Paulo ad ſe concludere voluit, demonſtrandum ab eo fuit, quod Paulus

lus Hiſpanis ordinem Liturgicorum praeſcripſerit, &c, ſi Apoſtolus praeſcripſerit, quod Hiſpanis aliisque Chriſtianis omnibus in omne aeuum demſerit, abiudicauerit, nec vnquam conceſſerit ius vel poteſtatem vel libertatem circa Liturgica ordinanda. Atqui haec ſi demonſtrare Gregorius haud valuit, cur Hiſpanis ſuum officium, quod nominat diuinum, obtrudere auſus eſt. Sed & b) FALSVM, SALTIM DVBIVM EST, an Hiſpani, ſi Pauli apoſtoli praecepta recepiſſent Liturgica, Romanae vrbi ſeruire ſemper debeant. Nam argumento iſto fortaſſe inuertendo dicendum eſt, Paulum cum ſeptem illis epiſcopis diuinum officium ordinemque in cultu diuino Hiſpanis ideo praeſcripſiſſe, ne his alii procedente tempore talia praeſcriberent, itemque Hiſpanos ea mente illas ordinationes ſemel recepiſſe, vt tales poſthac recipere nec velint nec neceſſe habeant. Vnde igitur ſubiectio illa Hiſpanica colligenda erit? num ex eo, quod *ex Romana vrbe Hiſpaniam Paulus adiit, quod ex vrbe Roma ſeptem epiſcopi ablegati in Hiſpaniam venerunt?* At enim vero ſi profectiones Pauli primo atque vni loco in alia loca omnia, ad quae ſuſceptae illae profectiones fuerunt, dominium acquirunt, ac reliquis locis omnibus ſeruitutis obſequiique neceſſitatem imponunt, ſequitur, vt ipſa Roma obtemperare ac ſeruire debeat aut Damaſco, vbi Paulus conuerſus primum iter in alia loca ſuſcepit, Act. IX, aut Antiochiae in Syria, vbi Paulus ad opus conuertendarum ad Chriſtum gentium, primum per homines inauguratus fuit, Act. XIII, 1-3. Si vero non vni ſed priori cuique loco poſterior ſubiicere ſe debet, conſequitur, vt Roma ipſa ſeruire debeat tribus Tabernis

nis, tres Tabernae Appii Foro, Appium Forum Puteolis, Puteoli Rhegio, Rhegium Syracusis, Syracusae Melitae insulae &c. Act. XXVIII. Quae extrema sicuti nec Roma nec Romanus Pontifex concesserint, ita etiam, si concesserint, perparum dominii erit, quod in Hispanos acquirent. Quippe de itinere Pauli in Hispaniam confecto, etsi frustra ac ridicule vt de re imaginaria, ac de larvis inanibusque vmbris, tamen acriter multumque disceptatur, vtrum nauale per mare mediterraneum, an terrestre per Galliam fuerit. De nauali itinere S. Hieronymus semel somniauit (§. IX), pro pedestri autem itinere pugnant Petrus de Marca (*) in epistola ad Valesium, saepius iam commemorata, §. IV, itemque Emanuel Caietanus Sousa, in Expeditione Hispanica Apostoli S. Iacobi maioris, adserta Tom. I, part. III, p. 574 sqq. Quem Sousam expendit Harenbergus in Otiis Gandershemensibus sacris p. 165 sq. Sed &, si iter Paulinum in Hispaniam demonstretur fuisse peractum, si deinde expeditum simul fuerit, vtrum terra, an mari peractum fuerit, tum tamen adhuc exquirendum idoneisque rationibus confirmandum erit, quod ex vrbe Roma proxime, sine interuen-

(*) Petrus de Marca ibidem ea loca Galliae Hispaniaeque, quae Paulus peragrauerit, mira curiositate perlustrat. Sed ipsa verba huius viri audire iuuat: *Paulus Hispanias adiuit. Atqui Hispanias petenti pergendum fuit per celeberrimam apud veteres viam illam publicam, quae ab Italia per Gallias in Baeticam ipsam ducit. Eius descriptionem exhibet non solum Antonini itinerarium a Nicaea per Arelatem, Narbonam, summum Pyrenaeum, Iuncariam, Barcinonem & reliqua loca, sed etiam Strabo, qui sedulo se habuit in viae illius explicatione, quam in plerisque capitibus minus ab interpretibus intellectam nos patefacere conati sumus libro primo Cataloniae illustratae.*

uentu alius vrbis aut vici, siue immediate, vt barbare loquar, in Hispaniam venerit Apostolus. Alioquin ab illa Gregoriana argumentandi regula parum praesidii Romae exspectandum erit. Porro si Romanorum imperium in Hispaniam demonstratum fuerit, c) DVBIVM TAMEN ERIT, an illud Pontificum Romanorum sit. Potuit enim esse ethnicorum Imperatorum Romanorum, vel senatus populique Romani. Tum, si Romanis pontificibus imperium illud a Paulo datum fuisse asseratur, d) DVBIVM TAMEN ERIT, annon imperium illud restrictum a Paulo fuerit ad ea tantum tempora, quibus vel Roma vel Hispaniae summos magistratus acciperent, qui Christi doctrinam cultumque publice amplecterentur ac tutarentur. Quodsi vero sacra illa potestas Christianis quoque imperatoribus idoneis rationibus denegata Pontificibusque Romanis vindicata fuerit, e) DVBIVM TAMEN ERIT, annon potestas illa ita a Paulo Pontificibus permissa sit, si Christianae doctrinae integritatem seruarent traderentque incorruptam, si vitae sanctitate ornatissimi, potestate illa sua imprudenter ac malitiose nunquam abuterentur. Quae conditiones si conuelli haud possint, tum f) GREGORIVS VII ANTECESSORVM SVORVM OMNIVM ET SVA IPSIVS DOGMATA ET FACTA PROBARE DEBVIT, e. g. quod potestate sua abusus haud fuerit, dum Henricum IV. Imperatorem Christianum eo modo vexauit, quo nec ipse Paulus Apostolus vexare ausus est Neronem, Imperatorem, non hominem, sed monstrum hominis, non Christianum, sed Christiani coetus hostem immanissi-

mum

mum perniciosissimumque. Quippe Gregorii huius doctrinas & actiones non modo aequales eius exsecrati sunt, (*) sed etiam nuper a. 1729 ipse Romanus Imperator Carolus VI, Galliaeque rex Ludouicus XV, Hildebrandi memoriam non canonizandam sed publice infamandam curarunt. Vid. Samlung von Alten und Neuen auf das Jahr 1729, p. 683, 861, 990 & 1194. Sed haec de frigore Gregorii in iure Paulino hactenus. Reliquum est, vt, quam frigide Gregorius de Petro Apostolo argumentetur, breuiter strictimque dicamus. Quod quidem pro superuacaneo & inutili haberi possit, propterea quod de Petro iste Pontifex eodem modo, quo de Paulo, supra argumentetur, nisi aliunde constaret, quod magna quidem potestas Paulo, singularis autem & maxima Petro attribuatur. Itaque ergo, ne Gregorii sententia frigeret, rationibus euidentibus & cogentibus ab eodem probandum fuit,

1) quod Apostoli a Christo *episcopi* constituti sint.

2) quod iidem hoc iure sibi concesso vsi, certo alicui loco se *alligari* passi sint.

3) quod Petrus inter Apostolos *summus* episcopus fuerit, cui reliqui Apostoli parere debuerint.

4) quod iura, Petro a Christo data, non collegis & toti ecclesiae communia, sed Petro *propria* fuerint, &

5) quod haec iura Petro propria, non primatum ordinis solum, sed etiam *iurisdictionis*, in se continue-

(*) Vid. Imperatorum Imperiique Principum ac procerum, totiusque nationis Germanicae Grauamina aduersus sedem Romanam - - eruta a Iacobo Friderico Georgii, 1725 Frf. & Lips. p. 20. sqq. & Vita Gregorii VII concinnata a Iusto Christophoro Dithmaro, Frf. Oder. 1710, in 8.

tinuerint,

6) Quod haec priuilegia etiam a Petro atque vniuersa ecclesia *agnita* fuerint.

7) Quod haec priuilegia Petri non personalia, sed *haereditaria* fuerint, ita vt ad posteros transmitti potuerint, & ad posteros etiam transmissa sint.

8) Quod in specie Petrus ἀναμαρτησίας dono ornatus fuerit.

9) Quod idem illis, qui sedem Hierosolymitanam & Antiochenam tenuerunt episcopi, suas praerogatiuas abiturus *denegauerit*.

10) Quod Petrus Romae vnquam fuerit.

11) Quod ibidem *episcopalem sedem*, imo *Monarchiam* constituerit.

12) Quod vllos *successores* habuerit.

13) Quod successoribus, si quos in Romana sede habuerit, omnibus priuilegia sua testamento *reliquerit*, ac relinquere *potuerit*.

14) Quod *primi* vsque ad adultam seculo IX aetatem Romani episcopi *a solo* Petro (excluso Paulo) suae sedis dignitatem arcessiuerint.

15) Quod pontifices de iure suo ex diuinis literis probando, nunquam *desperauerint*; nec ius suum potius legibus positiuis *Romanis*, additis fraudis cuiuscunque portentis, adscripserint.

16) Quod ecclesia *vniuersalis* per *omnia* tempora sine contradictione has Pontificum Roman. praerogatiuas in *omnibus* agnouerit.

17) Quod *omnes* vno ore Pontifices *fassi* sint, se esse infallibiles.

18) Quod illi Pontifices, si quod ius in totam

 Chri-

Christi sanguine acquisitam ecclesiam habent, hoc iure nunquam *abusi* fuerint.

19) Quod Papae nulli de *facto* errarint, nec haeresin, ab *ecclesia & successoribus* proscribendam, fouerint.

20) Quod ecclesia Romana post tot in fide errores & bonorum hominum contradictiones dici *catholica & infallibilis* possit, cui, quod inferorum portae ei non sint praeualiturae, a Christo promissum est.

21) Quod eadem ecclesia, non obstantibus rationibus iam dictis, eo *praescriptionis* iure, quod omnem probandi necessitatem tollit, ac coecam obedientiam imperat, gaudere possit.

22) Quod nemo, qui *errorum, superstitionis ac turpitudinis* colluuiem in ecclesia Romana intuetur, ab ea ecclesia *secedere* possit, & in conscientia obstrictus *teneatur*.

23) Quod hic secessus sit ab ecclesia, & consequenter a salute. Conf. Hieron. Wigandi Biel in Disput. de Formosi, Papae R., exuuiis, bis a tumulo deformatis, ac tandem in Tyberim abiectis, a. 1716 Witebergae habita.

6) Malesana Gregorii VII hermeneutica, qua sacras tabulas violare consueuit. Testis est Benno, Cardinalis, in vita eius, aiens: *Scripturas sacras violenter intorsit in adiutorium falsitatis.* Testes sunt omnes fere Germaniae episcopi, qui in Concilio Wormatiensi a. 1076 congregati, ita decernunt: *Quicquid* (Gregorio) *in mentem venit, aequum iniquum per fas nefasque perficere conatur. Monachus desertor est, nouis dogmatibus sacrosanctam philosophiam adulterat, diuinas literas falso interpretando suae causae seruire cogit.*

*git.* vid. Grauamina Imperii aduersus sedem Romanam, a Iac. Frid. Georgii collecta p. 32, sq.

7) Character animi Gregoriani, praetensionum scelus anhelantis, pestemque quamplurimis regnis nefarie molientis. Namque, iudice Claudio Fleurio in Historia ecclesiastica Tom. XII, *Pontifex iste non solum non erubescebat publice mentiri, Hispaniae regnum antiquo iure pertinere ad S. Petrum, h. e. ad ecclesiam Rom., quamuis nullum eius rei vestigium in vllo scriptore occurrat ante Gregorium VII, qui id omnium primus finxit prodiditque in suis literis, sed etiam non dubitabat contendere, vniuersa Europae regna, ne magna quidem Russia excepta, Romanae ecclesiae propria, certe tributaria esse.* Conf. Act. Erud. Lips. Latin. Supplem. T. VI, p. 326.

## XXIII. HIPPOLYTVS, THEBANVS, Secul. XI.

Paulo Hispaniensi assertorem accommodant quoque Hippolytum, episcopum portus Romani secul. III, qui in tract. de XII Apostolis, haec memoriae tradat: Παῦλος μετ' ἐνι αυτὸν ἕνα τῆς τȣ̃ χριςȣ̃ ἀναλήψεως εἰσῆλθεν εἰς τὴν ἀποςολὴν, καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Ιερȣσαλὴμ, προῆλθεν ἕως τȣ̃ Ιλλυρικȣ̃ καὶ Ιταλίας καὶ Σπανίας κηρύσσων τὸ ἐυαγγέλιον ἔτη λέ. ἐπὶ δὲ Νερωνος, ἐν Ρώμῃ τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθεὶς, θάπτεται ἐκεῖ. *Paulus post annum vnum ab assumtione Christi, adiit apostolatum, incipiensque ab Ierusalem, peruenit vsque ad Illyricum & Italiam & Hispaniam, praedicans euangelium per annos quinque ac triginta: Sub Nerone autem amputato Romae capite, illic sepelitur.*

*Resp.* 1) Quanquam Baronius in Annalibus, Samuel Basnagius in exercitationibus Anti-Baron. aliique plures commentationem illam exiguam ad Hippolytum, tertii p. c. N.

Seculi episcopum referant, tamen Ioann. Albert. Fabricio Bibl. Graec. libro V p. 212 inquirenti & curatius contemplanti, Hippolytus Thebanus, Seculo XI clarus, genuinum se libelli conditorem ostendit, in quo Fabricium sequuntur Frid. Adolph. Lampe in prolegom. ad Euangel. Ioannis p. 2, not. Cel. Gottlieb. Stollius in der Nachricht von denen Kirchen-Vätern der ersten vierhundert Jahre, p. 133. alii.

2) Testimonium illud ex Rom. XV, 19-24 videtur esse fictum. (§. 1.) Namque videmus hic & ibi Paulum proficiscentem 1) ab Hierosolymis 2) vsque ad Illyricum, 3) ad Romanos siue Italos, atque 4) in Hispaniam. Ergo res iudicata iam est supra §. I & V.

3) Sed & aliis vitiis illud testimonium tenetur. Testimonii vitium est, quando *Paulus* ibi perhibetur *suscepisse Apostoli munus anno primo, adscensionem Christi in coelum insequenti.* Nam cum virorum doctorum de anno conuersionis Paulinae ad Christianismum, siue, quod vnum idemque est, de anno vocationis Paulinae ad apostolatum, in varias sententias eant, vid. Wolfii Cur. ad Act. IX, p. 1139; tamen haec Hippolyti sententia a vero longissime abest. Vidit hoc quoque Henricus Valesius not. ad Eusebii Hist. lib. II. c. 1; Sed Fridericus Spanhemius illud demonstrauit tum strictim in differt. de temere credita Petri in vrbem Romam profectione §. XX, tum fuse in Disquisit. de anno conuersionis Pauli Apostoli. De calculo autem praedicati per 35 annos euangelii non est, quod operose agamus, cum

4) Vitia alia in libello isto insederint, quae clare in oculos incurrunt. Sic vitium est, quando *Ioannes evangelista euangelium suum in insula Patmo conscripsisse* dicitur. Comparetur Lampe Prolegom. in Ioh p. 152, sqq. Vitium est, quando *Iacobus maior ab Herode Tetrarcha occisus fuisse*, traditur. conf. supra §. XV, p. 12. Fabula est, quando *Bartholomaeus Apostolus*

*stolus* ἐν Ἀλβάνῳ τῆς μεγάλης Ἀρμενίας *sepultus esse dicitur.* Vidit hoc David Blondellus, qui in Dissert. de LXX Discipulis VI, 12 ait: *Dorotheus* (addatur Hippolytus noster) *in Albania magnae Armeniae ciuitate, sepultum eo absurdius cum Isidoro asseuerat, quod Albania, Albanorum metropolis fuit, non Armenorum. Ptolem. lib. 5, cap. 12.* Fabula est, quando *Matthaeum*, quem in Æthiopia Origenes Tom. 3 in Genesin, ex eoque Eusebius libr. 3, c. 1 passum docent, Pseudo-Dorotheus autem Hierapoli Syriae obiisse opinatur, *noster Hippolytus* ἐν Ἱερέει τῆς παρθείας *Hiereae Parthorum ciuitate* (id est: nullibi) *obdormiuisse* perhibet. Porro fabulatur Hippolytus, *Simonem Cananitam fuisse filium Cleophae, eundemque etiam Iudam nominari, ac post Iacobum Iustum creatum illum fuisse Hierosolymorum episcopum.* Vbi duo diuersi Simones in vnum coalescunt & confunduntur. Errant quidem hunc errorem Pseudo Abdias, Isidorus, alii; eum tamen repellunt & apostolum Simonem hebraice קַנָּא Cannitam, Graece Zelotem cognominatum, ab episcopo Hierosolymitano Simeone, filio Cleophae curate distinguendum arbitrantur David Blondellus, Ittigius, Samuel Basnage ad A. C. 31, num. 27 & vir illustris Ioann. Georgius Pertschius in Versuch einer Kirchen-Historie secul. I, c. X p. 205. Sed satis nugarum.

5) Denique audiamus Benedictinos e congregatione S. Mauri, qui in Historia literaria Franciae, Gallico sermone conscripta, Tom. I, part. I. p. 394 seq. de Hippolyto, Portus R. episcopo exponentes, ita iudicant: *nous avons sous le nom de saint Hippolyte dans la Bibliotheque des Peres un très-petit traité, qui y porte ce titre: des douze Apôtres, & des lieux ou chacun d' eux a prêché, & fini sa vie. Il se trouve sous le même nom parmi les manuscrits grecs de Mr. de Coislin, & on l' a mis ensuite en grec & en latin à la fin du premier tome des oeuvres de saint Hippolyte. On remarque qu' il est cité sous*

*son nom par George Cedrenus & Michel Glycas. Mais cela n' autorise pas à le croire de lui. Il contient trop de choses incertaines & souvent inexcusables, pour ne pas dire fausses & absurdes, qui le rendent indigne de nôtre saint Docteur. Adde ibid. p. 387.* hoc est, vt paucis me expediam: *Libellum de XII Apostolis &c. sub Hippolyti nomine excitant Georgius Cedrenus & Michael Glycas, qui tamen fidem hic merentur plane nullam. Continet narrationes multas incertas & interdum inexcusabiles, ne dicamus falsas & absurdas, quae libellum istum S. Hippolyto nostro indignum reddunt.*

## XXIV. ANSELMVS LAVDVNENSIS, Seculo XI exeunte.

Hunc virum Cornelius a Lapide Commentar. in Act. Apostol. c. 28, p. 365 testatur atque implorat his verbis: *S. Ansel. in epist. ad Roman. c. 15 asserens Paulum in Hispania praedicasse, subiungit: peruenit igitur vsque ad Hispanias, & a mari rubro vsque ad oceanum praedicando cucurrit, imitans solis cursum ab Oriente vsque ad occasum, vt ante ei terra deficeret, quam studium praedicandi.* Ad eundem *Ansbelmum in cap. XV ad Rom.* prouocat quoque D. Calouius Bibl. illustrat. ad Act. vers. vlt. p. 956.

*Resp.* 1) Si ad Anselmi Laudunensis glossam interlinearem ad Rom. XV; Cornelius a Lapide & Calouius respexerunt, euolui eam, & iterum iterumque perlegi; at de Pauli itinere in Hispaniam expedito nihil ibi inueni. Sin vero duumuiri illi in mente habuerunt Anshelmum Cantuariensem, cui a quibusdam adscribuntur commentarii in Paulum Apostolum, quorum initium est: *de epistolis Pauli Apostoli adiuuante Domino locuturi;* tum non minus in errore versantur; siquidem commentarios *hos in vetustis exemplaribus Herueo Monacho inscriptos inuenit Sixtus Senensis*, Bibliothec. sanctae

c. III.

c. III, p. 244. neque Episcopus ille Cantuariensis commentatus in Paulum est, iudice Theophilo Raynaudo p. 455, seq. Operum Anselmi Cantuariensis edit. Lugduni 1630, fol.

2) Quisquis autem commentarii illius auctor sit, nulla tamen per se auctoritate valet, vtpote qui Hieronymum exscripsit, quem etiam audivimus supra §. IX.

3) Sed & consecutionis, ex Rom. XV, quam Pseudo-Anshelmus inde conficere videtur his verbis: *pervenit IGITVR vsque ad Hispanias*, consecutionis, inquam, illius fallaciae supra quoque (§. I.) occurrimus.

## XXV. MICHAEL GLYCAS, circa a. 1120.

Hic Siculus in Annalibus suis parte III, p. 236 seq. edit. Paris. res Pauli in Hispania gestas persequitur his verbis: *Caeterum post defensionem hanc primam* (coram Nerone) εἰς Ἰσπανίαν ὁ Παῦλος παραγίνεται: *in Hispaniam Paulus pervenit, vbi mulier cula quaedam illustri orta loco, quae multo ante Paulum videre cuperet, deque veritate ab ipso viua voce erudiri, prospectasse in forum perhibetur, ibique conspecto Paulo, qui forum transiret, maritum suum persuadendo impulisse, vt hominem domo sua exciperet. Ingresso in aedes Paulo, prodigium quoddam nouum & inusitatum accidisse. Mulierem enim oculis suis adapertis, in apostoli fronte literas aureas vidisse, quarum huiusmodi sententia foret:* Παῦλος ὁ τοῦ Χριστοῦ κήρυξ, *Paulus Christi praeco. Quapropter ad pedes ipsius prouoluta, doctrinam Christianam accepit, ipsaque cum Probo marito familiaque vniuersa baptizata est.*

*Resp.* 1) Si tempus, quod inter Paulum & Glycam interiectum est, non impediret, quo minus testimonio Glycae de Pauli ingressu in Hispaniam fidem auctoritatemque adiungeremus, tamen

2) Vel ex adiecto commento lepido ac festiuo, quo

Paulum

Paulum Hispaniensem prosequitur, ingenium Glycae stupidum aut dolosum ac proinde testimonii fidem affectam cognoscere possemus. Miracula Annalista vendidat, vbi miraculis opus non erat, scilicet, populo vt placerent, quas fecisset fabulas.

3) Talem fabulatorem etiam alibi agit noster Siculus, e. g. p. 235, vbi de Simone Mago sequentia refert: *Imperante Nerone vixit Simon Magus, ad quem vbi Simon Petrus Apostolus accessisset, canem alligatum catenae in eius limine reperit, deuorantem eos, quotquot iniussu ad Magum ingredi conarentur. Tum apostolus ille* (*) *canem iussit intrare ac Mago humana voce annunciare, adesse Petrum Apostolum. Quo facto cuncti, qui in aedibus erant, obstupuerunt. Illud ipsum vero etiam Magus fecit, h. e. canem iussit egredi humanaque voce Petro dicere, vt intraret. Deinceps Magus cum Petro colloquens, inter alia quiddam huiusmodi obiecit: si futuri notitiam Adamus habuit, quamobrem serpentis fraudem non praecognouit? tum Petrus, si futuri, ait, nullam notitiam habuit, quo tandem modo filiis suis ipso natiuitatis tempore nomina indidit, quae ipsorum factis essent accommodata? Nam vnum appellavit Cainum,* ὅ ἐςι ζῆλος, (**) *quae vox aemulationem denotat. Etenim impulsus aemulatione quadam fratrem suum occidit. Alterum vocauit Abelum,* ὅ ἐςι πένθος, *quod nomen luctum significat. Nam eius interfecti caussa parentes in luctu fuerunt. &c. &c.*

4) Deni-

(*) Acta haec Cynica siue Canina minus bene hic transtulit Ioannes Lewnklavius, cuius translationis emendationem Philippus Labbe promisit quidem in titulo operis, sed tamen hic non praestitit. Quare Glycam hic meis ex parte verbis reddere conatus sum conuenienter Glycae, & Io. Malelae Antiocheno in opere historico, & Georgio Cedreno in Compendio historiarum p. 206 edit. Paris.

(**) Cum *Cain* significet ἐπικτητον, Epictetum, Genes. IV, non *Zelum*, quem melius exprimeres per קנא, vnde Simon, apostolus Cananitae siue Zelotae

4) Denique ipſe Philippus Labbe, Ieſuita, in Notis atque emendationibus ad Glycam, paſſim queritur, Glycam *in abſurdas ſententias labi, longius a veritate aberrare, imperitum eſſe veteris hiſtoriae, admittere peccata ac portenta, hallucinari in hiſtoria ſacra ac profana.* Itaque p. 368 & alibi *Lectores monet, vt ad ſcriptores* συγχρόνους *potius recurrant, quam turbidos recentiorum arenteſque riuulos conſectentur.*

## XXVI. ROMVALDVS II, circa a. 1178.

Hic archiepiſcopus Salernitanus in Chronico ſuo, quod Tomo VII ſcriptorum rerum Italicarum inſertum eſt, p. 53 ita ſcribit: *(Hieronymus.) Paulus - poſt annos XIV aſſumpto Barnaba & Tito, iterum venit Hieroſolymam, deferens ſecum euangelium ſuum, quod intitulatur ſecundum Lucam, vt cum apoſtolis maximeque cum Petro apoſtolorum principe ſuam conferret auctoritatem; roboratus euangelium ſuum eccleſiis Dei per totum Illyricum Italiamque, Gallias quoque, & vsque Hiſpanias diſſeminauit. Sed, priusquam in Hiſpanias iret, Romam a Feſto praeſide ductus eſt ſecundo imperii Neronis anno. Duodecimo autem eiusdem Neronis anno, ſecundo Romam venit.*

*Reſp.* Hoc teſtimonium.

1) Auctoritate Hieronymi inniti dicitur, quam ſupra iam repreſſimus (§. IX.)

2) Infringitur quoque ipſa admixtione falſorum. a) Falſum eſt, quod Paulus, Hieroſolymam veniens, *detulerit ſecum euangelium ſuum, quod intitulatur ſecundum Lucam.* Reſpicitur & corrumpitur hic hiſtoria, Galat. II tradita; Quandoquidem ipſe Paulus ibidem teſtatur, quod expoſuerit, quod enarrauerit (non praelegerit) euangelium (non illud, quod

G Lucas

Iotae nomen traxit; deinde cum ABEL הבל ſignificet vanitatem, non *Luctum*, quem luctum melius exprimeres per אבל; nonne Petrus apoſtolus hoc modo repraeſentatur tanquam homo hebraeae lingue ignariſſimus, ac falſarum probationum magiſter? verum enim vero haec abſurda Glycas myops non peruidit.

Lucas scripsit sed) quod praedicauerit inter gentes. Atqui hic nulla SCRIPTI mentio fit. Conf. Wolfii Cur. ad h. l. Sed & ipse Lucas Romualdo repugnat, in exordio euangelii sui affirmans, *se velle scribere ea, quae acceperit ab illis, qui fuissent* οἱ ἀπ᾽ ἀρχῆς αὐτόπται. Ergo, *iudice Fabricio in biblioth. Graec. libr. IV, c. V, p. 133, inde constat, non a Paulo solo euangelium Lucae esse suppeditatum, vt legitur apud Irenaeum III, 1, & in Synopsi Athanasii Iunioris:* ὑπηγορεύθη μὲν ὑπὸ Παύλου τοῦ ἀποστόλου, συνεγράφη δὲ καὶ ἐξεδόθη ὑπὸ Λουκᾶ, τοῦ μακαρίου ἀποστόλου καὶ ἰατροῦ. *Sed, si a Paulo forte quaedam hausit, vt Tertull. IV, 2 & 5 ad Marcionem quoque confirmat, ea fuisse paucissima, pleraque autem omnia ab* αὐτόπταις *reliquis Apostolis accepisse. Neque enim Paulus fuerat* αὐτόπτης. *Itaque & Eusebius III, 24 affirmat, Lucam ex Pauli contubernio* καὶ τῆς τῶν λοιπῶν ἀποστόλων ὁμιλίας ὠφελημένον, *& reliquorum apostolorum sermonibus*, (Petri maxime, vt habet Pseudo-Dorotheus) *adiutum scripsisse.* Illius autem erroris origo quaerenda est in falso canone, quo Lucae euangelium intelligendum esse quidam docebant, quoties Paulus euangelium suum commemorat. Cui canoni exegetico, quamuis inualido, plures ex veteribus ac recentioribus institere. Sed & haud defuere viri docti, qui illis refragari in eo haud dubitarunt. Vid. Fabricii Codex apocryph. N. T. T. I p. 372 sqq. & Wolfius in Curis ad euangel. Lucae p. 544. Si quis in annum scripti euangelii Lucae inquirere vellet, ille Romualdum etiam exinde fortasse posset expugnare, hocque tueri, quod euangelium Lucae tempore illius itineris Hierosolymitani literis nondum mandatum fuerit. Sed mihi quidem tam longas tamque difficiles vias commeare hic non licet. b) Falsum etiam est, quando Paulus dicitur (vti connexio verborum indicat) *maxime a Petro roboratus*, euangelium disseminasse. Atqui Paulus Petro reliquisque Apostolis haud inferior fuit, 2 Cor. XI, 5, neque ei Petrus reliquique Apostoli quicquam contulerunt, Gal. 2, v.

6, qui

6, qui potius ipſum Petrum, Antiochiae vacillantem, roborauit, v. 11-16. & tamen ille Paulus dicitur *maxime a Petro roboratus?* Scil. Romualdus papizat. Hinc ancipites illae inſidioſaeque dicendi viae: Petrus princeps Apoſtolorum, & Paulus maxime a Petro roboratus eſt. c) Falſum, ſaltim dubium eſt, quod Paulus euangelium ſuum eccleſiis Dei per *totum Illyricum*, diſſeminaverit. Certum eſt, Paulum praedicaſſe doctrinam euangelicam μέχρι τȣ̃ Ἰλλυρικȣ̃, Rom. XV, 19; Sed incertus videtur eſſe horum verborum ſenſus: μέχρι τȣ̃ Ἰλλυρικȣ̃, quae ſumi poſſunt vel INCLVSIVE, ita *vt in Illyricum* quoque ingreſſus eſſe dicatur Paulus, vel EXCLVSIVE, ita vt Paulus perueniſſe dicatur tantum *vsque ad* Illyricum. Romualdus priorem interpretationem pro arbitrio amplectitur. Chriſtoph. Cellarius in itinerario apoſtolico §. XXII in eandem ſententiam diſcedit, ſed cum temperamento quodam, *duplex ILLYRICVM erat*, inquit, 1) *GRAECVM, quod a Liſſo & vicinis montibus incepit, & vergit ad Ceraunios vsque montes. Haec Graeca Illyris vrbes nobiles habuit Liſſum, Dyrrhachium, Apolloniam: populos Parthinos, Taulantios & alios obſcuros.* 2) *BARBARVM hinc ſuper Adriam exſurgit in occaſum Borealem. Hos Mela lib. II. cap. III proprie Illyricos vocat. Adde Palmerii Graec. Antiq. lib. I, cap. XIV. Hanc illamne Illyrin intelligat Apoſtolus, non aeque nobis certum eſt. Nullum veſtigium apparet, ad Dalmatas vsque excurriſſe: nec vero eiusdem aetate Illyrici nomine alterum cenſebatur, ſed Macedoniae potius. Dio Caſſius lib. XLI, p. 176. Dyrrhachium in terra Illyriorum Parthinorum ſita: quae nunc, etiam tum* (Pompeii & Caeſaris aetate) *Macedoniae adnumerata eſt. Quodſi ita eſt, in Daſſaretis, Taulantiis, horumque vicinis Apoſtolum praedicaſſe, vix erit quod dubitemus.* Equidem ambigua Pauli verba non pro lubitu, ſed ex Act. XVII, 1, interpretanda, cum H. Grotio aliisque cenſeo, ita quidem, vt Paulus Philippis diſcedens, & per Amphipolin, atque Apolloniam Amygdoniae

niae siue Macedoniae, Thessalonicam petens, Illyricum haud penetrarit. Romualdus eo audaciae processit, vt non satis haberet, si Paulum scriberet in Illyricum ingressum fuisse, sed Paulum etiam finxit disseminasse euangelium *per totum Illyricum.* Quodsi vero quispiam Romualdum aliter explicandum existimaret, ita vt Paulus curam Illyriorum tantum per alios gesserit, Illyricum autem corpore nunquam ingressus fuerit; tum illam explicationem admitterem, si documentis stabilita fuerit, immo ita admitterem, vt iter Pauli Hispanicum inde probandum haud admitterem; siquidem Paulus ita dici quoque posset curam gessisse Hispanorum, non in Hispania praesens, sed per alios absens.

## XXVII. SIMON METAPHRASTÈS, Seculo XII exeunte. (*)

Ex huius viri Sermone de Petro & Paulo apostolis auxilia quoque peregrinationi Paulinae in Hispania excitantur. Sed mihi non sunt ad manus, qui sermonem istum exhibent, e. g. Surius Tomo III atque Acta Sanctorum Tom. V, Iunii 29. Interim.

1) Audiamus Baronium, qui ad A. Christi 61 p. 618 de Simeone ita iudicat: *Quae vero de his* (Xanthippe & Polyxena in Hispania a Paulo conuersis) *apud Metaphrastem leguntur conscripta & Eusebii, vt ait, auctoritate testata: quoniam nusquam Eusebium haec scripsisse reperire est, cetera etiam, quae subinfert, in suspicionem adduci posse videntur.* Baronio assentitur Tillemontius memor. eccles. T. I, p. 869. itemque Henricus Burtonus, Vol. 2 patrum apostol. edit. Clerici p. 470 seq. ita scribens: *Qui* (Simeon Metaphrastes, *vbi citat Eusebium, vereor, ne nobis mendacium narret. Nihil*

(*) Hunc Simeonem referunt ad Seculum IX, vel X, vel XIII, vel XIV. Vid. Weismanni histor. eccles. T. I, p. 697. Mea hic nihil refert illam componere litem.

*Nihil enim simile inuenire licet in historia eius ecclesiastica, vbi, sicubi ab eo dicitur, conuenientissimum erat dici. Quodsi esset in parte quadam operum eius, quae in manus nostras non venerit, nihil est, quod de ea re dicamus, nisi quod perisse videmus, perditum nos ducere.*

2) Audiamus porro Io. Marianam Hispanum, in opere de rebus Hispaniae libro IV, c. 3 ita scribentem: *Petrum ipsum in Hispaniam venisse, vt Metaphrastes est auctor, a sanioribus repudiatur.*

3) Denique audiamus Theodoricum Ruinartum, Benedictinum, in praefat. generali ad Acta martyrum selecta & sincera §. I, n. 8, p. X, XI: *eodem seculo* (quo vixit Frodoardus) *celebris fuit apud graecos Simeon cognomento Metaphrastes, qui sanctorum Acta, vndique conquisita, in vnum collegit, quamuis hoc in eo viri eruditi merito reprehensione dignum iudicent, quod eorum nonnulla variis interpolauerit additamentis, nouaque aliquot, cum vera deficerent, proprio Marte cuderit.* Vir venerab. Moshemius in Institutionibus histor. Christian. antiq. Seculo X, p. 613. ait: *Inter Graecos Simeon ille vixit, cui Metaphrastae cognomen datum est, qui sanctorum hominum vitas ita exarauit, vt a fabulis, quas ipse adiecit, ea quae certa sunt, dignosci nequeant.* Audiamus etiam Robertum Bellarminum in libro de scriptoribus ecclesiasticis: *Illud est obseruandum, a Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non vt res gestae fuerunt, sed vt geri potuerunt: addit enim Metaphrastes multa colloquia, siue dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conuersiones astantium paganorum in tanto numero, vt incredibiles videantur: denique miracula plurima & maxima in euersione templorum & idolorum, & in occisione persecutorum, quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Illud quoque obseruandum est, aliquas historias Sanctorum videri additas a posterioribus, & non omnes esse auctoris eiusdem. Inueniuntur enim vitae aliquae Sanctorum, qui post obitum Metaphrastae vixerunt.*

## XXVIII. LVCAS TVDENSIS a. 1236.

Lucas diaconus Tudensis in Chronico mundi, quod Hispaniae Illustratae Tomo IV Andreae Schotti Iesuitae cura insertum, Francofurti ad Moenum a. 1608 primum typis euulgatum est, p. 33 haec memoriae prodidit: *Habebat Nero secum Simonem Magnum, cuius maleficiis deludebatur. Qui cum altercationem haberet cum Petro, dicebat esse filium Dei. Superuenit autem & Paulus, & similiter cum Simone contendebat. Nero autem dedit Paulo potestatem praedicandi & libertatem deambulandi per partes occidentis. Placebat autem illi Paulus, eo quod eloquentissimus erat. Duodecim annis fuit Paulus Romae & in partibus occidentis praedicans verbum Dei cum fiducia: quo tempore in Hispania creditur praedicasse. Anno Imperii Neronis tertio decimo, cum iam nequitia Caesaris ob immissionem Simonis inualuisset, captus est Romae Paulus, & missus in carcerem, vbi multos de familia Neronis conuertit, & familiaritatem Senecae magistri Neronis obtinuit: Vnde Nero Senecam & Lucanum fecit occidi. Quarto decimo anno imperii sui Petrus & Paulus praecepto Caesaris cum Simone contendebant. Simon autem promisit, se volare in coelum videntibus cunctis, & in se diuinam ostendere maiestatem. Qui cum a Daemonibus in altum aeris duceretur, adiurante Petro per Deum, Paulo vero orante, iuxta templum Romuli dimissus crepuit. Ob cuius necem Petrus praecepto Neronis in Vaticano, in vico scil. qui est extra ciuitatem, Paulus vero tanquam ciuis honorabiliori morte in catacumbis gladio decollatur. Vna die mortui sunt gloriosi principes terrae, quos vnitas fidei & amoris, dum in carne viuerent, sociauit.*

*Resp.* 1) Non Lucae Tudensi, sed Isidoro Hispalensi potius tanquam auctori illa verba assignanda sunt. Nam *Berengaria Hispaniarum regina Lucae Tudensi imperauerat, vt Chronicorum libros, a beato Isidoro & a quibusdam aliis peritis de historia regum Hispanorum & quorundam aliorum editos, sibi scribe-*

*ſcriberet.* p. 1. *Lucas igitur Tudenſis ad libros Chronicorum, a doctore Hiſpaniarum Iſidoro editos, manum miſit, ſecundum etiam quosdam alios Hiſpanorum Regum & aliorum quorundam ſeriem proſequendo, praeceptis Berengariae deſiderans fideliter ſatisfacere. Ipſa enim, cuius catholicis praeceptis non licuit nec libuit reſiſtere, Lucae indigno diacono, vt hoc perficeret, imperauit.* p. 3. Sed & ſuffragatur mihi libri primi huius chronici clauſula, his verbis expreſſa: *explicit primus liber Chronicorum beati Iſidori, Hiſpaniarum doctoris, Archiepiſcopi Hiſpalenſis.* Ex quibus patet, non nouum hic afferri auctorem, ſed teſtem ſupra §. XVII iam auditum.

2) Quid iſtuc fundamenti eſt: *Paulus CREDITVR in Hiſpania praedicaſſe?* vid. §. XIX, n. 2.

3) Multa etiam alia immiſcet Iſidorus, quae relationem ipſam vitiant ſuſpectamque reddunt, breuitatis tamen ſtudio hic non excutienda.

4) Ipſe autem Lucas Tudenſis quid de Paulo ſentiat, p. 2 exponit: *Omnipotens Deus in tantum Hiſpaniam coeleſtibus ditauit donis, vt protomartyris Apoſtolorum Iacobi corpus ſibi transmitteret perpetuo in carne amplectendum, & doctorem gentium Paulum illi contulit ſpecialius in ſpiritu venerandum. Etenim cum Romanis idem apoſtolus ſcriberet, dixit, ſe per eos tranſitum facturum & venturum ad Hiſpanias. Quod vtrum in corpore venerit, licet quaedam ſcripta, quae videntur authentica, eum teſtentur veniſſe corporaliter, nos tamen ignoramus. Firmiter credimus, eum promiſſum ſuum etſi non in corpore, tamen in ſpiritu compleuiſſe.*

## XXIX. PSEVDO-DIONYSIVS AREOPAGITA, ſiue IACOBVS A VARAGINE. mort. 1298.

Dionyſium Areopagitam, Act. XVII, 34 commemoratum, Gaſp. Sanctius in tr. de praedicatione S. Pauli in Hiſpania §. 8. in medium protulit his verbis: *Primo*

*loco*

*loco ſtatuatur Dionyſ. Areopag. Pauli diſcipulus, qui aperte tradit, Hiſpaniam obitam a Paulo, & inde plures ab eo datas eſſe literas. Tradit autem hoc in epiſtola quadam ad Timotheum de Pauli morte, quam in libro quodam antiquo habet Complutenſis bibliotheca, cuius autor mihi ignotus, quia priores ex eo libro paginae, in quibus autoris nomen notari debuit, exciderant. Scripſiſſe tamen de Pauli obitu Dionyſ. ad Timoth. tradit Trit. Addit Poſſeuinus in apparatu ſacro in Dionyſio, epiſtolam hanc reperiri apud Iacobum, Archiep. Genuenſ. quam mihi videre non licuit. Scribit in ea epiſtola Dionyſ. ad Timotheum ſatis familiariter & dolenter, & poſt aliquot verba addit: Heu frater mi, dilecte animae meae, vbi eſt ſpiritualis pater tuus, bone diſcipule, magiſtri amator? vnde vlterius ſalutabit te? de mari? aut de arida? de Gallatia, aut de Hiſpania? ab Aſia aut Corintho? ecce enim orphanus factus es, & remanſiſti ſolus.*

*Reſp.* Sanctius nobis hic ludit aut illudit incertis ac falſis narrationibus. 1) Incertum enim eſt, quis illius libri auctor ſit, in quo Dionyſii Areopagitae iſta ad Timotheum epiſtola deprehenſa fuit. 2) Incertum eſt, an Trithemius de eadem epiſtola loquatur, quam Iacobus archiep. Genuenſis & Complutenſis bibliotheca habuerint. Trithemius indicat epiſtolae exordium hoc: *Saluto te diuum diſci.*, quod Poſſeuinus & Sanctius haud indicarunt.

3) Immo tres illae epiſtolae ſint eaedem, ſit quoque eadem, quam Graece MStam Bibliotheca Vindobonenſis adſeruat. Lambecii commentar. de bibliotheca Caeſarea Vindobon. libr. III, n. 39. (*) Falſum tamen eſt, ſi Trithemius eam pro genui-

(*) Lambecii verba ſunt: *Extat etiam ſub nomine eiusdem S. Dionyſii in auguſtiſſima bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi, vndecima quaedam epiſtola ad S. Timotheum epiſcopum Epheſinum de morte SS. apoſtolorum Petri & Pauli. Quid autem de ea ſentiam, alio poſthac commodiori tempore & loco a me indicabitur. Interim vide ſis Diarium meum ſacri itineris Cellenſis p. 270.*

genuina agnouerit, quod eius iudicio hic ſtandum ſit. Nam Trithemius, qui Catalogum ſcriptorum eccleſiaſticorum, in quo iſta de Dionyſio Areopagita afferuntur, a. 1492 publicauit, in hiſtoria ſeculi I non eſt αὐτόπτης. Atqui non deſunt Euſebii, Hieronymi, aliique virorum eccleſiaſticorum ſcriptores, deſunt tamen, ſaltim inuenti adhuc non ſunt, qui epiſtolae illius, ad Timotheum datae, mentionem fecerint ante Iacobum iſtum, archiep. Genuenſem, alias a Voragine, ſiue a Viragine, ſiue a Varagine (*) cognominatum. Ergo fidem huius Iacobi, qui a. 1298 ſupremum diem obiit, contemplemur neceſſe eſt. Condidit is *legendam auream de vitis ſanctorum*, de qua Ludou. Viues Hiſpanus lib. 2 de cauſ. corrupt. art. p. 98 hoc iudicium tulit: *Quam indigna eſt diuis & hominibus Chriſtianis illa ſanctorum hiſtoria, quae legenda aurea nominatur, quam neſcio cur auream appellent, cum ſcripta ſit ab homine ferrei oris, plumbei cordis. Quid foedius dici poteſt illo libro?* Noſtrum Iacobum Ludouicus Anton. Muratorius c. l. ita delineauit: *Quod eſt ad ingenium & criterium hominis, quae extant ab ipſo conſcripta, vtut olim, literis nimium languentibus, magno in honore forent, nunc certe, iudicio cuiuscunque cordati viri, parui fiunt, hominemque arguunt laboris quidem non parcum, ſed infelicem eruditionis magiſtrum. Aeque ille nugas & fabulas ac verum, vtpote vir ſimplex, adoptabat, vt propterea eius Legenda aurea ſiue ſpeculum ſanctorum ab homine oris ferrei & plumbei cordis ſcripta dicatur, vt Ludouici Viuis & Melchioris Cani verbis vtar.* Plura iudicia collegit D. Georg. Wallinus in Diſquiſitione de S. Genouefa p. 8 ſqq. Ex aurea hac Legenda congeſtum Calendarium etymologicum extat in Schelhornii Amoen. T. XI, p. 324 ſqq. Quod autem ad Iacobi noſtri Chronicon Genuenſe attinet, idem Muratorius l. c. ait: *imperare mihi non potui, vt integrum Iacobi noſtri Chronicon ederem. Quis enim tot gerras, fabulas,*

H &

(*) Oudinus in libro de ſcriptor. eccleſ. eum *a Varagine* nuncupandum eſſe recte cenſet. Cui ſententiae acquieſcendum putat V. Celeberrimus Ludou. Anton. Muratorius, Rerum Ital. ſcriptor. T. IX, p. 3.

*& saltationes extra chorum, quibus suam hanc historiam, tituli immemor, bonus scriptor infarcit, aequo animo legere sustineat, &c.*

4) Valet etiam hic, quod de prouocatione ad ἀνέκδοτα Frider. Spanhemius fil. supra (§. XVI, n. 1) admonuit.

## XXX. NICEPHORVS CALLISTI, circa a. 1305.

D. Calouius in Bibl. illustrat. ad vers. vltim. Actorum ait: *Paulus in Hispaniam vsque euangelium propagauit, vt testantur Eusebius, Niceph. Beda, Platina & alii.*

*Resp.* 1) Peruolutaui Nicephori Callisti historiam eccles. At nihil in eam sententiam ibi inueni. Fortasse Calouius huc traxit illa Nicephori, libr. II c. 34: *Paulus, toto fere orbe peragrato atque triginta & quinque annis euangelico pro Christo certamine peracto, quum postremo iterum Romae esset & in coryphaeum praecipuumque apostolorum Petrum incideret, vna cum illo sibi immortalitatis coronam accepit.* Attamen etiam haec verba laxa nimiumque generalia sunt, ex quibus Hispanicum Pauli iter non necessario conficitur. Quemadmodum Iudaei ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν *ex omnibus gentibus, quae sub coelo sunt*, Hierosolymis habitasse dicuntur, Act. 2, v. 5, per quas gentes, v. 8-11 nominatim appellatas, nulla tamen neque Hispanica, neque Gallica, neque Britannica, neque Germanica natio intelligenda est.

2) Sed & nugiuendulus Nicephorus est. Casaubonus exercitat. I. ad Baronium p. 95: *Nicephorum hunc* (Callisti filium) *fabulosissimum esse scriptorem, & iudicii in literis nullius, satis notum est eruditis. Quare equidem, quicquid apud illum legitur, nisi alia accedat auctoritas, non pluris facio, quam folia farfari. Ipse Baronius quot locis istum fabulatorem aspernatur, reiicit, confutat? Qui vtinam sibi constaret, nec, quod alibi destruit, idem alibi adstrueret.* Camerarius commentar. in cap. 2 Ioh. p. 267: *Nicephorus Callisti auctor futilis, vndecunque acceptas fabulas, a pura doctrina ecclesiastica abhorrentes, intexuit narrationibus historiae suae.* Dauid Blondellus de LXX Christi discipulis c. IV, 10: *Stolidissimus mortalium Nicephorus Epiphanium Dorotheumque errantes sequi maluit, quam Eusebium &c.* Bellarminus de scriptoribus eccles. *in historia huius auctoris, vt Graeci & schismatici, non mirum videri debet, si inueniantur errores proprii Graecorum, vt de processione spiritus S. a solo patre, in ipsa praefatione. Magis mirum est, inueniri non paucos errores in rebus historicis, vt ex annalibus Card. Baronii constat.* Plura iudicia extant in Sagittarii Introduct. Hist. eccles. c. VII p. 39. Ergo hic quoque in Nicephorum quadrant, quae vir illustris Io. Guil. de Berger in programmate de coelesti Crucis signo, a Constantino M. viso, nuperrime pronuntiauit: *Nicephorum Callistum audio, sed, vbi fides agitur historici testimonii, cum tanto fabularum fastidio, vt eum praetereundum fere putem. Hic tamen Eusebium sequitur maximam partem.*

## XXXI. FLAVIVS LVCIVS DEXTER, vel potius HIERON. ROMANVS DE HIGVERA, Seculo XVI.

Progrediamur ad Chronicon, quod, Flauii Lucii Dextri nomine inscriptum, ad a. Christi 64 habet seqq: *Lucius Annaeus Seneca, Cordubensis Hispanus, missis vltro citroque ad S. Paulum literis, de Christiana re bene sentit, factusque Christianus occultus, eius fuisse discipulus creditur, dulciterque scribit ad Paulum in Hispania morantem.*

*Resp.* 1) Flauius Lucius Dexter, praefectus praetorio, quo hortante librum de scriptoribus ecclesiasticis Hieronymus Stridonensis scripsit, omnimodam historiam texuisse fertur, quam in deperditis habuere viri docti, cum repente exeunte seculo XVI percrebescere rumor coepit de inuento in Fuldensi Germaniae bibliotheca hoc thesauro. Auctor rei, teste Nicol. Antonio bibl. veteris Hispanae lib. I, cap. 8, fuit Iesuita quidam, Hieronymus Romanus de Higuera nomine, Toletanus patria. Apographum illius prima vice typis excusum est Caesar-Augustae in Hispania a. 1619, in 4t. Multi docti viri, praesertim Hispani, illud auide arripiunt citantque. Quare sub nomine Dextri saepissime quidem, sed magnificentissime cura Francisci Biuarii Monachi Cisterciensis, a. 1627 Lugduni, fol. prodiit, &, vt Mat. Veysserii la Crose verba ex Vindiciis veterum scriptorum p. 178 repetam, *Inquisitionis Hispanicae tribunal, non minus pronum ad tuenda mendacia, quam ad obstruendas vias omnes, quibus ad veri cognitionem perueniri possit, nil mirum fecit, quod, praefixa approbatione, & Dextri & Maximi falsa Chronica, vt legitimos antiquitatis foetus obtrudere elaborauit. Stupendum est tamen, eruditos Hispaniae viros ne mutire quidem ausos fuisse, metu poenoe; quin etiam quodammodo ad probandas eiusmodi ineptias adactos fuisse.* Cornel. a Lapide testatur in Chronotaxi Actuum apostol. p. 11, *se illud* (Chronicon) *Fuldae studiose perquisiuisse, nec inuenisse.* Quare ille Lucius Dexter fictus, nemo videtur esse alius ac tenebrio sinister verus, scil. Iesuita ille Hieron. Roman. de Higuera. Fusius hanc caussam perorarunt Nicol. Antonius in bibliotheca Hispana Veteri, idemque lib. 1 de iure exulum, c. 14. Mat. Veysserius La Croze in Vindiciis Veterum scriptorum p. 177 seq. Fabricius in Codicis Apocryphi N. T. part. II, p. 838, not. g. & part. III, p. 726. idemque in bibl. Latinae T. III, p. 442 seqq. Cardinalis Aguirre Concil. Hispan. Tom. 2, p. 54. Io. Bollandus praefat. ad T. I Act. sanctorum Ianuar. p. 31 & ad Tom. I Act. Febr. p. XVIII sq. Papebrochius T. IV Act. Sancto. Ianuar. p. 14. D. Io. Frid. Mayerus in eclogis de fide Baronii & Bellarmini, ipsis Pontificiis ambigua, p. 126. Dionysius Petauius lib. 2. epist. 14 ad Rosweidum, Chronicon Dextri vocat *imperitissimi ἄτοπον & ἀλλόκοτον κύημα & omnino ψευδεπίγραφον, ab Hispano aliquo nebulone confictum.*

2) Testimonii vitiositas proditur vel solo indicio Christianismi Senecae commerciique eius cum Paulo literarii. Actum agerem, si Senecae Christianismum, literasque eius cum Paulo amoebaeas explodere vellem. Egerunt hoc non

solum Protestantes quamplurimi, sed inter Pontificios quoque haud desunt, qui ei rei operam dedere; velut Ludouicus Viues Hispanus in annotat. ad Augustini libr. VI de ciuitate Dei c. 10. Bellarminus de scriptoribus eccles. Baronius ad a. c. 66, Anton. Posseuinus in Apparatu S., Laelius Bisciola hor. subseciv. T. I, lib. 15, c. 1. Cornelius a Lapide in Act. XIX, aliique plures, de quibus vid. Fabricii Codex Apocryph. N. T. Tomo II, p. 884 sqq. & Tom. III. p. 712 sqq. Senecae autem Christianismus, credo, fuit & est occultus, siquidem ex scriptoribus grauibus atque aequalibus nihil de eo commemoratur: &, quae ex scriptoribus grauibus atque aequalibus de necessitate eius vltima commemorantur, si ex illis iudicandum est, tum Senecae Christianismus verisimilis atque apertus non est. Audiamus Tacitum Annal. lib. XV, c. 64: *postremo* (Seneca iam moriturus) *stagnum calidae aquae introiit, respergens proximos seruorum, addita voce, libare se liquorem illum IOVI LIBERATORI.* Quae verba Christianum hominem dedecent, adeo vt nemo hic Senecam Christianum cognouisset; Ergo Seneca fuit Christianus occultus & apocryphus. Q. E. D. In fabula ioci plena difficile est non ridere. Porro, si Senecae Christianismus est occultus, qua igitur ratione ille Lucio Dextro innotuit? Quasi Dexter nesciuerit, quid Iupiter Iunoni in aurem dixerit. Sic de occultis non iudicat ecclesia, sed Dexter sinister.

## XXXII. BARONII MARTYROLOGIVM ROMANVM. a. 1586.

Martyrologium illud ad 22 Martii habet seqq: *Narbonae in Gallia natalis S. Pauli episcopi, apostolorum discipuli, quem tradunt fuisse Sergium Paulum proconsulem, qui a B. Apostolo Paulo baptizatus, &, cum in Hispaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem episcopali dignitate donatus est.*

*Resp.* 1) Martyrologii huius fides est incerta. Baronius ipse in dissertatione, Martyrologio suo praemissa, fatetur, Martyrologium hoc, quod is Romanum nominauit, expertum esse varia fata additionum, deminutionum, hallucinationum, aliorumque mendorum, quae tamen omnia iam sua cura sint sanata. Attamen cum dictorum suorum fidem haud praestare potuerit, multi, etiam inter ipsos Pontificios, fuere, qui Martyrologio illi bellum indixerunt, velut Henricus Valesius in dissertatione de Martyrologio Romano, quae inter annotationes eius in Eusebii Hist. eccles p. 315 extat, Theodor. Ruinartus in praefat. generali Actis Martyrum sinceris praemissa §. 9 & 10. Fridr. Spanhemius fil. in disquisitione chronol. de annis conuersionis Pauli Apostoli §. 17. Samuel Basnage in Annalibus politico-ecclesiasticis T. I, p. 753 sqq & 810, Franciscus Combesisius, Monachus Dominicanus Parisinus, in D. Thomae Ittigii tr. de bibliothecis & Catenis Patrum, p. 156-165. Io. Launoius in discussione responsionis de duobus Dionysiis c. VII. Ruinartus ad Victorem Vitensem p. 552 seqq. & auctor dissertationis a Mich. Geddesio insertae Tomo II miscellaneorum, editorum Londini 1714 in 8. Conf. I. A. Fabricii Lux euangelii exoriens p. 217. Quare Franciscus Combesisius, modo dictus, Martyrologium hoc, a Baronio editum, non Romanae ecclesiae, sed Baronii Martyrologium esse statuit l. c.

2) Ani-

2) Anilis fabula eſt, quod Paulus, Narbonenſis in Gallia epiſcopus, *fuerit Sergius Paulus, proconſul Cypri, Pauli apoſtoli opera ad Chriſti ſacra perductus*, Act. XIII, 4-12. Anilis fabula eſt, quod Paulus Narbonenſis epiſcopus *a B. apoſtolo Paulo baptizatus, &, cum in Hiſpaniam pergeret, apud Narbonam relictus, ibidem epiſcopali dignitate donatus ſit.* Nam cum ſeculo a. C. N. primo Chriſtianiſmus in Gallia fuerit nullus, ſecundo quidem ſeculo Photinus atque Irenaeus, ex Aſia minori aduenientes, Chriſtianiſmi fundamenta in Gallia primi poſuerunt, ſed tertio demum ſeculo Miſſionarii alii, iique ſeptem, Galliam intrarunt, quorum in numero noſter quoque Narbonenſis Paulus concelebratur. Fuſius hoc exponunt Benedictini e congregatione S. Mauri in Hiſtorie literaire de la France Tom. I part. I a Paris 1733 euulgata, Illos igitur audiamus, de ſeculo primo p. 125 ſeq. verba haec facientes: Ce ſeroit en vain que le titre que nous donnons „ à ce ſiécle, vous feroit naître l' eſperance d' y voir traiter de quelque Auteur ec- „ cléſiaſtique, ou même de l' établiſſement de la Religion Chrétienne dans les Gau- „ les. Quelques diſpoſitions que paruſſent avoir nos Gaulois au-deſſus de tant d' „ autres Nations, pour ſe rendre a la lumiere de l' Evangile, par la perſuaſion où „ ils étoient communement de l' immortalité de l' ame; Dieu néanmoins, dont „ les deſſeins ſont impénétrables, ne leur fit pas ſi-tôt annoncer la parole de vie. „ Il eſt cependant vrai que pluſieurs de nos Ecrivains modernes ont prétendu, que „ dès ce ſiécle-ci la foi avoit été prêchée & reçüe dans nos Provinces. Mais c'eſt „ ce qu' ils ont avancé, ſans que perſonne ſe ſoit mis en devoir de le prouver. Et „ comment auroit-on pu le faire? Bien loin qu' il ſe trouve quelques preuves po- „ ſitives pour l'établir, il il y en a pluſieurs qui la détruiſent, & qui ne ſont pas de „ peu de poids. Telles ſont les autorites de S. Sulpice Seuere, cet Ecrivain ſi céle- „ bre & ſi reſpectable; de l' Auteur des Actes de S. Saturnin de Toulouſe, qui „ écrivoit au moins dès le cinquiéme ſiécle de l' Egliſe; & de S. Gregoire de Tours, „ que nous regardons comme le Pere de nôtre hiſtoire. Il s' agit d' vn fait; & tous „ les raiſonnemens que l' on pourroit faire, ne ſauroient l' établir, ſi le témoignage „ des anciens le dément. „ De ſeculo II quoque, Benedictinos illos audiamus p. 223-225. " Iusqu' ici nous n' avons encore vu dans nos Gaules, qu' une Philoſophie „ purement humaine & des ſciences toutes profanes. Mais le ſiécle, où nous en- „ trons, nous y va découvrir l'etabliſſement de la véritable ſageſſe, & de la ſcience „ qui fait les ſaints. Nos Gaules n' avoient pas merité d'être préférées à tant d'au- „ tres païs qui avoient déja été inſtruits de la connoiſance du vrai Dieu, & du my- „ ſtere de la redemtion des hommes. C' eſt une grace qui ne depend que de la pu- „ re miſericorde de Dieu, qui la fait à qui il veut, & lorsqu' il lui plait, ſans que „ perſonne ait lieu de s' en plaindre, & de lui dire: pourquoi en uſez-vous de la „ ſorte? Mais au moins en ce ſiécle il voulut bien regarder d' un oeil favorable „ nos vaſtes Provinces, & faire à quelques-unes une grace qu'il n'a pas encore „ accordée à tant d' autres païs éloignés de nous. Après donc que la foi eut été „ annoncée peu à peu & comme par dégrès dans l' Occident, elle ſe répandit, à „ meſure du progrès qu'elle faiſoit, jusques dans les Gaules. On y vit alors des „ ouvriers Evangeliques, qui y répandant la lumiere de l' Evangile, en chaſſerent „ avec le tems les ténébres du Paganiſme. De ſorte, dit le celebre S. Sulpice, „ que ce ne fut qu'un peu tard que le Chriſtianiſme s' établit en deçà des Alpes; „ &„

„& l'on ne commença à y voir des
„servit du ministére des Grecs pour
„eurs de l'Evangile, comme il s'en ét
„ximes & les coûtumes de la Gréce P
„re, S. Pothin sorti d'Asie, où il av
„& depuis premier Evêque de Lyon,
„seur, avec quelques autres disciples d
„sachions certainement être venus pré
„tio seculo iidem Benedictini p. 304-
„long-tems sans dédommager l'Eglis
„Hippolyte) qu' elle avoit cedés à d' a
„il lui en envoia sept autres, que l'on
„xa son siége à Tours, S. Trophime
„Toulouse, S. Denys à Paris, S. Aus
„Martial à Limoges. Ce fut par la pre
„miere de l'Evangile, qui dès le fi
„vous l'avez vû, dans la Gaule Celtiq
„tres & des hommes Apostoliques de
„ste des Gaules. De sorte que la doctr
„gnée en Occident, & celle que les
„chée en Asie, se trouverent réunies d
„nomme aujourd'hui l'Eglise Gallica
„marquable! Prérogative dont peu d
„les furent les sources d'où sortirent l
„sa nos provinces. Telle est l'origin
„core aujourd'hui d'une manier beau
„le soin que l'on y a aporté dans tou
„que l' on avoit reçu par le canal de
„re que S. Gregoire de Tours parle d
„magineroit qu' ils seroient venues en
„ne s' est pas fait ainsi. Le but de ce
„Empire de Dece vers 250. qui ést l'
„tre que de désigner le tems de la miss
„l' avoir accompagné dans les Gau
Christianae religionis in Galli
in Luce euangelii

## ERRATA. IN

P. 2, lin. 22 *amem* pro Amen. p
29, lin. 26 *seruos* pro seruas. p. 32, lin
μαρτησίας pro ἀναμαρτηρίας. p. 44, lin.

# F I

voir des Martyrs que ſous Marc Auréle. - Dieu ſe
recs pour communiquer à notre païs les premieres lu-
ne il s'en étoit autrefois ſervi pour y introduire les ma-
la Gréce Païenne. Quelque choſe que l'on puiſſe di-
e, à il avoit pu être inſtruit par les Apôtres mêmes,
de Lyon, S. Irenée ſon Prêtre, & enſuite ſon ſucceſ-
diſciples de S. Polycarpe, ſont les premiers, que nous
venus prêcher la foi dans les Gaules.„ Porro de ter-
ni p. 304-306 his vtuntur verbis: " Dieu ne fut pas
ger l'Egliſe des Gaules des deux éleves (de Cajus & S.
cedés à d'autres Egliſes.„ Pour ces deux Miſſionnaires
s, que l'on croit être tous de Rome. S. Gatien qui fi-
Trophime à Arles, S. Paul à Narbone, S. Saturnin à
ris, S. Auſtremoine à Clermont en Auvergne, & S.
t par la predication de ces grands Evêques, que la lu-
i dès le ſiécle précedent s'étoit répandue, comme
aule Celtique par le miniſtere des diſciples des Apô-
oliques de la Gréce, penetra dans presque tout le re-
ue la doctrine que S. Pierre & S. Paul avoient enſei-
e que les Apôtres S. Jean & S. Philippe avoient pre-
nt réunies dans nos Gaules, pour y former ce que l'on
liſe Gallicane. Prérogative auſſi avantageuſe que re-
dont peu d'autres Egliſes pourroient ſe vanter! Tel-
ſortirent les ruiſſeaux de cette eau ſalutaire qui arro-
eſt l'origine de la doctrine que l'on y enſeigne en-
anier beaucoup plus pure qu'en tout autre païs, par
té dans tous les ſiecles à conſerver dans ſa pureté ce
canal de ces Apotres de nôtre foi - - De la manie-
urs parle de la Miſſion de ces ſept Evêques, on s'i-
venues en même tems dans les Gaules. Mais cela
out de ce Hiſtorien en plaçant cette miſſion ſous l'
qui eſt l'epoque de celle de S. Saturnin, n'eſt au-
s de la miſſion des ſix autres, qu'il croïoit d'ailleurs
ans les Gaules.„ Plures ſcriptores de originibus
nis in Galliis recenſet Io. Albert. Fabricius
euangelii exorienti p. 384 ſqq.

## TA. IN SECT. II LEGE

Amen. p. 3, lin. antepen. *ignorat* pro ignoret. p.
p. 32, lin. 13 *verbis* pro vrbis. p. 41, lin. 8 *au-*
p. 44, lin. 17 *viri docti.*

# I N I S.